DEO. TER. OPTIMO. MAXIMO. FAVENTE.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE

OMISSIONE RENOVATIONIS INVESTITURÆ FEUDALIS NON DOLOSE FACTA, HODIE, ET PRÆCIPUE IN SAXONIA, AD AMISSIONEM FEUDI NON SUFFICIENTE,

QUAM

INDULTU

MAGNIFICI JURE-CONSULTORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

PRO GRADU DOCTORALI

DEFENDENDAM SUSCIPIET

JOANNES FRIEDLIEB VOCKEL.

D. XXIII. MART. M DCC XXIIX.

LIPSIÆ,

LITTTERIS JO. HEINRICI KOENIGII.

VIRO

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSVLTISSIMO

DOMINO

JOANNI PAVLO VOCKEL,

DOMINO HÆREDIT. IN MANSCHATZ,

AVGVSTISSIMO POLONIARVM REGI ELECTORIQVE SAXONIÆ

A

CONSILIIS COMMISSIONVM PRÆFECTURÆ DRESDENSIS PRÆPOSITO SVPERIORI GRAVISSIMO.

PATRI

INDVLGENTISSIMO OPTIMO VENERANDO

HANC INAVGVRALEM

IN PERPETVVM

OBSERVANTIÆ PIETATIS

ET

GRATISSIMÆ MENTIS

MONVMENTVM

CVM VOTO

FELICITATIS CONTINVÆ

DICAT CONSECRAT


FILIVS

JOANNES FRIEDLIEB VOCKEL.

QUi collocatis in se beneficiis cum felicitate frui cupiunt, id maxime agere solent, ut grata devotaque mente, benignissimam benefactorum voluntatem agnoscere nunquam non parati inveniantur. Idque cum eorum inprimis sit, qui vitam, educationem, & omnium, quæ ad bene beateque vivendum pertinent, copiam, a Parentibus proficisci, reminiscuntur; eandem & mihi constitui legem, neve meritorum vitæ, post DEUM, conditoris, immemor essem, sedulo operam navari. Hanc unicam sane rationem esse existimavi, qua TIBI, INDULGENTISSIME PARENS, placere possem; quippe, quem præcipue hoc in votis habere, ex TUO suavissimo ore, plus vice simplici, audivi, ut ex TE nata soboles, tot tantaque Paternæ liberalitatis monumenta, non fucata mentis veneratione colat, perpetua recordatione retineat, & sincera animi probitate persequatur. Hanc solam tot sumtuum compensationem; hanc unicam, pro tot curis & indefessis pro Tuorum salute laboribus, mercedem; hoc præcipuum senectutis condimentum, desideras, expetis, efflagitas. Næ! nomen ingratum audirem, si ego, cujus nunquam paria esse poterunt, officia, tam leve, tam tenue remunerationis genus reddere detrectarem. Pietatis præcepta & laudabilis gratitudinis tramitem incedendi contentio, aliud

sua-


fundent. Cum vero fortuna, in tribuendis, pronæ voluntati viribus, noverca mihi exstiterit; aliqua saltim ratione, id, quod plene efficere probibeor, declarare conatus sum. Non procul ergo mihi arcessendæ fuerunt causæ, cur TIBI PARENS DULCISSIME, vile hoc opusculum, sacrum atque devotum esse voluerim: nimirùm, ut affectus, quo TE veneros, nec unquam venerari desinam, publica testificatione pateret. Quod & , quin benigne & serena, ut dicunt, fronte sis accepturus, tener ille & innatus parentibus amor, quem in TE novi, & tot vicibus cognovi, me non tam sperare, quam confidere jubet. TUAM proinde humanitatem submissa mentis admiratione excipio: TEque mihi, cujus ex TUO suavissimo ore salus pendet, nihil tutelæ atque propensionis, & imposterum detracturum esse, persuasissimum habeo. Qua ut diutissime fruar, utque DEUS ter optimus terque maximus, TE ad seram usque senectutem, salvum, sospitem, incolumen, inter mortales versari jubeat, EUNDEM supplicibus venerari precibus, & pro TUA longæva salute, sacra offerre devotissima, nullum diem prætermittam. Vale!



DISSERTATIO

DE OMISSIONE RENOVATIONIS INVESTITURÆ FEUDALIS NON DOLOSE FACTA, HODIE ET PRÆCIPUE IN SAXONIA, AD AMISSIONEM FEUDI NON SUFFICIENTE.

§. I.



JCtus explicandis legibus intentus, non verbis tantum inhærere, sed & mentem legum expiscari debet.

NOn tantummodo JCto in verbis legis acquiescendum est, mentem etiam & sensum ejus expendere debet. Id enim Celsus l. 17. π. de Legib. intendit, dicens: Scire leges, non hoc est, verba eorum scire, sed vim ac potestatem: quippe qui incivile esse pronuntiat, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita, judicare, vel respondere, l. 24. π. *de legibus;* prout solidissime excussit Dn.D.MULLER in Differt. Inaugur: de Rationibus legum investigandis. Nec aliter esse potest. Sæpe enim fieri solet, uti principium legis fini haud conveniat, illudque ab hoc corrigatur. Quod non modo in una Lege contingit, sed in pluribus sæpe de eadem re agentibus, aut aliquam inter se habentibus materiæ connexionem, v.

Proinde, uti legem dubiam & obscuram ex lege explicet, & hanc cum illa conciliet, requiritur.

gloss. ad h. l. DD. Hinc industrii legum indagatores, non uni semper immorantur sancito, sed illo cum obscuritate quadam confligtante, vel ambiguitatem implicitam habente, legem ex lege explicant, dubiam mentem conciliant, defectum supplent, & si quid obscuri inveniant, alia illustrant.

Neque æquitatis naturalis, utpote quæ fons ac origo omnium legum est immemor sit, sed eam cum civilibus præceptis conjungat.

§. II. Neque huic solummodo inhærendum est Jurisperito. Quemadmodum enim juris rationem & æquitatis benignitatem Modestinus conjungit, l. 25. π. de *LL.* jusque ipsum ex naturalibus præceptis gentium & civilibus collectum est, l. 1. π. *de Justit. & jure*, & inde Ulpianus Lib. I. Instit. suar. boni & æqui notitiam se profiteri dicit; ita, si forte quid lege constitutum inveniat, quod contra internam ipsius mentem, vel duris, vel vetustis, vel obscuris compositum sit verbis, id secundum juris communis æquitatem, quam natura suadet, quippe quæ verum justitiæ fundamentum præbet, cui leges positionesque humanæ subordinatæ sunt, interpretari ipsi incumbit. Huc jus prætorum honorarium, omne in naturali æquitate robur collocantium, spectabat: huc instituta tendunt, judicis arbitrio rerum decisionem relinquentia: huc potestas JCtis veteribus a Romanis data, jus ex æquitate supplendi redibat. vid. HEINECC. Antiquit. Lib. I. tit. II. § 37.

Ipsaque facta, earumque circumstantias sedulo ponderet.

§. III. Quum etiam leges, senatus consulta & Constitutiones Principum, teste JULIANO, non ita scribi potuerint, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, in iis comprehendantur, l. 10. π. *de Legibus*, & sæpe accidat, ut minima saltem circumstantia, diversam rei omnique juris applicationi, faciem induat, l. 26. §. 12. π. *de Condict. indebit*; non ad cuncta facta, sancita eadem sunt applicanda, sed causa expendenda est, & circumstantia temporis, personarum, ipsiusque rei attendenda, quo certius perspiciat interpres, utrum lex ad hunc vel illum casum aptari possit, an minus? Quanto

to magis JCtus caveat necesse est, ne ubicunque leges, suo tempore jure summo de re aliqua latas, nunc autem propter mutatam rei naturam haud applicandas, veneratione superstitiosa adhibeat, (cujus rei varia adfert exempla Celeb. LEYSERUS in Diss. de superstitione juridica) sed cogitet: ratione dispositionis deficiente, ipsam etiam cessare dispositionem, & ubi non datur præsuppositum, vi sua destitui dispositum.

Sciat etiam veteres Romanorum leges indistincte ad nostrum ævum applicari haud posse.

§. IV. Quo ipso illi Doctorum procardico communi: *Lex semper loqui præsumitur*, limites ponuntur certissimi. Quamvis enim alias lex non-usu non tollatur, aliquatenus tamen eam vi sua destitui & aboleri certum est, si nimirum ratio dispositionis evanescat, & mutata reipublicæ forma illam non admittat; quemadmodum etiam Leges Imperii fundamentales per transformatum reipublicæ statum vigore excidisse suo BRUNNEMANNUS, in solidissima Differt. de Aureæ Bullæ mutatione, prolixe demonstravit. Hoc enim genuina interpretationis restrictivæ indoles svadet. v. HORN. Prælect. public. de interpret. juridic. cap. IV. Quis proinde ignorat leges de manumissione Romanorum, Æliam Sentiam & Fusiam Caniniam non pristinæ amplius auctoritatis splendorem jactare? Quem fugit, modos legandi antiquos, per damnationem, præceptionem, vindicationem, sinendi modum, Romannis solennes, cessare? Quis nescit, servos nostros, quæ sibi stipulantur, non dominis, sed sibimet ipsis aquirere, cum tamen olim iidem non sibi, sed dominis acquirerent? v. Tit. Instit *de Stipulat. Servor.* Deficit quippe ratio dispositionis, vi cujus servi pariter ac liberi in potestate paterna constituti, communiter nihil plane sibi aquirere, nil suum facere poterant. v. Instit. Tit. *Per quas pers. nobis acquir.* Unde etiam hodie non frequentia sunt servorum peculia, quia servi nostri ex contractu *locati* tantum ut plurimum tenentur, & quidquid extra officium aquirunt,

Quum plures propter transformatumReipubl. Statum deficienteDispositionis ratione vix locum inveniant.

 sibi

sibi acquirunt. v. BOENIGK Instit. ad Tit. *Per quas pers. nobis aquiritur.* §. 21.

Hæc si negliguntur varia dantur incommoda.

§. V. Ex quo apparet, quam Jurium interpres prudentiam adhibere, quam accurate legum objecta distinguere, & quantum ad errores ejusmodi evitandos a legum confusione ac intempestiva earum ad facta applicatione sibi cavere debeat. Quod, si omnes institutorum explicatores considerarent, non sane sensus tam alienos sancitis affingerent, non adeo causam de antinomiis legum conquerendi nanciscerentur, non inquam, notissimæ regulæ: *Summum jus, summa injuria*, oblivifcerentur, non legibus, in causis sæpe, quas non cogitavit legislator, vim singularem adscriberent, neque veterum instituta ad nostram ætatem nostræque reipublicæ vultum haud applicanda, admitterent.

Præsertim autem tot controversiæ inde nascuntur.

§. VI. Quod cum a plurimis incogitate omittatur, altercationibus frequentissimis latus aperitur campus, & perniciosus ille dissentiendi pruritus ex legibus partim, si expendantur, inter se maxime consentaneis, contradictiones invita minerva eliciendi, partim, vel legi alienam affingendo mentem, vel veteris institutum temporis, ad nostram haud referendum ætatem, coacte applicando, ex certissimo sæpe jure ambiguum efficiendi, promtam occasionem nanciscuntur. Venit inde, uti plures ejusmodi opiniones, Doctores, autoris gravitate potius, quam solida ducti ratione, suas in partes traxerint; alii autem alius veneratione interpretis permoti, adversam ediametro sententiam amplexi fuerint, & tali modo sine legum culpa, jus nostrum dubium ac incertum esse, ansam calumniandi vulgo præbuerint.

Quod ut in omnibus Jurium partibus ita præcipue

§. VII. Hæc sunt maximam partem tot tantarumque controversiarum semina, quarum, uti plurimas in omnium jurium partibus, ita præcipue in legum ac consuetudinum

Feuda-

Feudalium corpore innumeræ propemodum obveniunt. Quæ tanto plus damni afferunt, quod cum, quantum ad reliquorum jurium ſpecies pertinet, illorum obſcuritas ac incertitudo ex tanto diſſentientium agmine orta, tot tantorumque eximia eruditione & doctrina præditorum JCtorum labore, qui pedetendim tractu temporis cauſas dubiorum evertendo, & leges ſibimet contradicere apparentes concinnando, omnem operam navarunt, diſcuſſa ſit; nemo fere eandem in Feudorum Prudentia induſtriam adhibendi ſerio propoſuerit. in Feudorum materiis contigit, Quamvis enim tanta juris Beneficiarii ſcriptorum copia jam exiſtat, ut eam, fatente HORNIO in Præfat. ad Jurispr. Feud. vix una ratis vehat, & neque antiquioris, neque recentioris ævi JCti deficiant, qui ampliſſimos in Feudorum inſtituta commentarios ediderunt; horum tamen plerique, quos alioqui honoris cauſa nomino, vel graviſſimas vexatiſſimasque hujus momenti materias, aut propter operis brevitatem ſicco tranſierunt pede, aut nimium juris peregrini partibus faventes, plus quam par erat, Longobardorum conſuetudinibus adhæſerunt, & quævis barbarorum placita Germaniæ Feudis applicare voluerunt, aut veteri Saxonicorum beneficiorum juri a privatis, qui mancipia & vernæ legum Romanorum erant, compoſito, nimium autoritatis tribuentes, omnia ſecundum eius principia definire ac interpretari ſtuduerunt. Rari autem paucique fuerunt, qui beneficiorum Germanicorum jus ex monumentis contulerunt genuinis ac antiquioribus; & rariores, imo rariſſimi fuerunt, (monente STRYKIO Beat. in literis ad HORNIUM perſcritis, ejusdemque Jurisprudent. Feud. præfixis) qui in feudis Imperii cujuscunque generis dignoſcendis, & cauſis eo pertinentibus decidendis, ad præſentem Imperii noſtri faciem, ejusque leges fundamentales reſpexerunt, &, qui Saxonum, aliorumque Germaniæ populorum mores fuerint, ſimulque

antiquas & recentiores constitutiones, nec non provincialia Saxonum jura vicinarumque regionum, quid in recessu habeant, quid per eas antiquatum & contraria consuetudine mutatum sit, quid praxis & fori usus servet, tradere adnisi sunt.

Ad quod plurimum, diversa inter se feudorum principia contulerunt.

§. VIII Ex tanto autem principiorum Feudalium discrimine factum est, uti plurimas juris Beneficiarii quæstiones legum enarratores pro principiorum & jurium, quorum auctoritati maxime favebant, diversitate, diversimode proposuerint, & indistincte, modo in controversia ex nostræ ætatis consuetudinibus decidenda, superstitiose Longobardorum mores sequerentur, modo falso existimationis præjudicio ducti, casum feudalem juxta veteris Saxonici Speculi cynosuram judicarent, modo alieni plane juris, contraria consuetudine antiquati fundamento uterentur, adeo ut pauci in una eademque quæstione decidenda consentirent, sed quisque pro ratione principiorum, quibus adhærebat, sententiam suam firmiori persistere talo existimaret.

Nec non ignorantia Antiquitatis & historiæ Feud. Jur.

§. IX. His accessit incuria Historiæ legum & antiquitatis, qua in legum explicatione tantopere opus est, ex qua tot manarunt errores, dum sancita olim & suo ævo non sine ratione præscripta ad nostrorum feudorum facta crinibus quasi traherent, sicque ex falsa principii ratione, falsa consectaria elicere non dubitarent. Usu sane evenit in hominibus ejusmodi, magni nominis MURETI querela *Part. I. orat. 17: Homines reipublicæ ignari, cujus leges & jura tractant, tanquam illuni nocte sine lumine oberrantes sæpe offendunt, sæpe labuntur, sæpe quovis potius, quam quo instituerant, perveniunt.*

Inter præcipuas de feudis quæstiones, ea celebris est, quæ hoc §. legitur.

§. X. Inter frequentes vero de Feudis quæstiones, in quibus decidendis non pauci doctorum, fulsi legum antiquarum ad nostra feuda applicatione, impegerunt, celebris illa non imum sane locum obtinet; *Utrum vasallus nostro ævo*

præci-

præcipue in Saxonia propter Investituræ Renovationem intra legitimum tempus sua culpa omissam, amissione feudi pœnam luat; an vero præter culpam, ut dolose hoc vasallus fecerit, simul requiratur?

§. XI. Priori sententiæ, culpam nimirum feudorum amissioni sufficere, quamvis haud dolus implicitus sit, plures tam prioris quam recentioris ævi JCti adhæserunt. Et sane diffiteri non possum omnes istos, qui huic materiæ pertractandæ manum admoverunt, & quos mihi evolvere licuit, in hanc opinionem, culpam vasalli amissione clientelæ coercendam esse, veluti conspirasse. Pace tamen horum virorum, & pro libertate academica in præsenti dixerim, eam sententiam, qua affirmatur, vasallum culpa solummodo sua investituræ renovationem prætermittentem a pœna jacturæ feudi immunem esse pronunciandum, propius ad æquitatis & justitiæ regulas accedere. Qua in sententia eo magis confirmor, animo mecum perpendens, opinionem supra laudatorum virorum suam referre originem ad id, quod nimirum, 1) aliquibus Longobardorum decretis, in quibus culpa & negligentia pro sufficienti clientelæ amissionis causa expresse declarari videtur, seducti fuerint. 2) Accessit jus Feudorum Saxonum vetus, nec non Alemannorum, quorum utrumque, uti ex diversis eorum locis infra commemorandis apparebit, consuetudines Longobardicas confirmare putatur. 3) Quibus jurium generibus uti plerumque, ita in hoc præcipue puncto, potestatem eximiam & absolutum valorem tribuerunt; adeo, ut jus Electorale ad priora partim, partim peregrina formare decreta adnisi fuerint. Utpote qui constitutioni Electorali *45. P. II.* de investitura vasallorum disponenti, & clientes ad renovationem ejus intra annum & diem præstandam, nulla speciali amissionis comminatione adjecta, commonenti, tam durum affingere sensum non dubitarunt.

Plurimi DD. solam culpam pariter ac dolum ad feudi amissionis pœnam in omissores Renovationis constitutam, sufficere existimant.

Expenduntur causæ, quæ DD. ad hanc sententiam amplectendam impulerunt.

Qua

Qua auctoritate permoti omne discrimen, quod nostri ævi Saxoniæque Feudis atque Longobardorum clientelis intercedit, neglexerunt, & tanto errore ducti, solam in vasallo culpam deprehensam ad beneficii jacturam sufficere concluserunt.

Mihi tamen contraria sententia, solam culpam in Renovatione omissores non tam severe, ac dolum animadvertens, placet.

§. XII. Quæ quidem sententia, tanto licet Doctorum clarissimorum agmini placuerit, & quamvis ipsa legum auctoritate stabilita esse videatur, me tamen, ut in ejus partes transgrediar, non permovere potest. Æquitas potius & justitia arma mihi suppeditant, quæ contra eam tollam, & quibus adversam thesin, dolum una cum culpa requirentem, defendam. Faciam ergo id, quod desiderium exigit, & voluntatem explebo. Faciam, inquam, quæ potero, & quid humeri valeant, experiar. Interim benevolos rogo censores, ne male habeant, quod libertatem dissentiendi in hac mihi parte indulserim, & ab iis discesserim, quæ summis Viris, quos alioqui religiose colo, placuerunt. Nemo etenim, omnibus in tanto quæstionum numero assentiri potest, & cum id præcipue caveam, ne modestiæ leges in refutandis hujus vel illius placitis egrediar, eo facilius me, si erravero, & si ratio sufficiens meæ sententiæ defecerit, veniam consecuturum esse confido.

De Etymologia vocis Investituræ, remissive.

§. XIII. Exorsurus igitur opus, non multum temporis conteram, nec paginam onerabo enucleando Etymologiam & Synonymiam vocis Investituræ. Hæc etenim ad propositum non spectant. Recoctam sane crambem proponerem, eaque recenserem, quibus jam dudum & vice plus simplici a viris doctissimis FERRARIO in Origin. LL. Italic. du FRESNE in Glossar. hac voce. FRANC. HOTOMAN. in Comment. de Verb. Feud. STRYKIO in Exam. Jur. Feud. cap. XII. qu. 1. HORN. Jurispr. Feud. cap. XII. §. 1. aliisque quam plurimis satisfactum est. Hoc tantum monebo, inter

omnes

omnes hujus verbi derivationes, eam se mihi præcipue approbare, quam Illustr. ille JCtus JO. PETR. de LUDEWIG in Diss. de Prorogatione Investituræ, conscripta, c. II. §. 5. elegit. Qui, rejectis diversorum DD. opinionibus, ex inferioris, vel cultioris seculi notitia demonstravit, Investituram a vestitu, *dem Lehn-Kleid*, quo olim vasallos indutos fuisse constat, denominatam esse hocque, uti solet, ex harmonia Germanicæ cum hac latina voce, vestis, & *Westen*, firmavit. Unde etiam hodie ab hoc vestimento nobiles vasalli, *Veste*, pariter ac milites a voce *Sold*, *Soldaten*, in vernacula appellari, non sine ratione existimavit. v. plura cap. II. §. 5. not. ff. gg.

§. XIV. Sed hisce missis, ad ipsum potius controversiæ statum me convertam, ubi ad magis perspicuam opinionis meæ declarationem, affinium separatio quæstionum, huc tamen non pertinentium, solicita instituenda est. Namque thesin, quod nemini vasallo ob renovationem Investituræ non dolose omissam, feudum aufferri debeat, propugnaturus, sub voce Investituræ, non illam intelligo, quam quis de feudo nuper a domino directo acquisito, tanquam primus acquirens præstare debet: de qua, uti inter omnes constat, Longobardorum jure nihil præcipui cautum est, & inde pro lubitu domini & vasalli, nullo observato fatali, hæc solennitas peti ac celebrari potest. vid. HORN. Jurispr. cap. XII. §. 19. Aliter se res habet, si dominus terminum vasallo præfixerit, hic autem ter distincta vice a domino admonitus non comparuerit; tunc enim per text. *II. Feud.* 24. §. *Est & alia* &c. tanquam inobediens ac contumax, jus suum amittit. Jure autem Feudali Saxonico Cap. VII. ab expectativam habente, Feudo aperto, a tempore aperturæ, intra annum & diem petenda est: quo tempore neglecto, vasallus, nisi aperturæ ignarus fuerit, hocque jurejurando comprobaverit, non auditur. SCHILT. ad Cap. XV. Jur. Aleman. Feud. Ignorantia enim

Status controversiæ proponitur, & affines quæstiones separantur.

justa a Felonia excusat, & tempus, quo investitura petitur, hoc casu, non ab aperturæ, sed scientiæ die currit, vid. SCHILT. l. c. A quo rigore Serenissimus Legislator declinans, per Constitut. 45. P. II. Investituræ petitionem homini novo, a tempore, quo possessionem adeptus est, intra annum & diem injunxit. Neque etiam mihi sermo est, de omissione renovationis abusive investitorum, i. e. quando dominus alicui dominium utile signis quibusdam, futuram possessionem rei absentis, vel nondum vacuæ, innuentibus, adhibitis, coram testibus concedit. HORN. Jurispr. cap. XII. §. 3; neque de ea, quam expectativam vocant, vel Super infeudationem, in vernacula: *Angefälls-Verschreibung*, quæ in terminis tantum conventionis seu contractus consistit, nihilque aliud est, quam promissio de feudo futuro, vid. SCHILT. Jus Feud. Alem. cap. XII. Quarum utrique renovationis onus adhærere, Jure Longobardorum negatur. Jus autem Saxonicum Electorale Constit. 45 P. II. §. *So viel aber die Folge des Gedinges &c.* quoad expectativas & abusivas, cum Longobardorum consuetudinibus consentit. In nostræ pariter quæstionis controversiam, omissa ab impuberibus investituræ renovatio haut venit, utpote quos Longobardorum instituta plane excusant. *II. Feud. 26. c. Si minor &c. & c. Si quis decesserit.* Jus Saxonicum Electorale vero, ut tutor impuberi constitutus, dilationem petat, præcipit, cui, hoc facto, de eo, quod officio satisfecerit, Decretum, vulgo *Lehns-Indult*, exhiberi solet. HORN. Jus Feud. C. XIII. §. 11. Sic etiam hoc loco lis non est de eo casu, quando nimirum vasallus, justa interveniente causa, a renovatione investituræ impeditur; quippe quæ ipso jure clientem excusat. vid. *text. I. Feud. 22. & II. Feud. 92.*. Denique nec hoc asseram, quod vasallus, renovationem negligenter omittens, jure nostro ab omni pœna immunis efficiatur; quem, ut adæquata negligentiæ multa afficiatur,

ciatur, omnino dignum judico. vid. STRUV. Syntagm. Jur. Feud. C. X. Aphor. 9. p. 388. Sed in eo cumprimis litis nostræ cardo versatur; utrum scilicet culpa & negligentia, quam vasallus, omittendo investituræ renovationem, intra legitimum tempus, sine dolo tamen & dominum lædendi aut contemnendi animo adhibuit, hodie, in nostris Saxoniæ præcipue feudis, ad clientelæ jacturam sufficiat? Cujus quæstionis negativam tuendam atque defendendam merito me suscepisse existimo. Huic autem proposito ut satisfiat, æquum & thematis naturæ conveniens erit, si dubitandi rationibus omni fide & cura præmissis, & decidendi causis subjunctis, discussioni argumentorum obstantium, operam pro virili parte navavero.

§. XV. Primum præcipuumque inter dubitandi rationes locum sibi vindicant illæ, quas tot Longobardorum textus suppeditant, qui omnes renovationis investituræ omissionem, etiam non dolosam, jacturæ pœna expresse dignam censere videntur. Quos inter *text. I. Feud. 22.* cumprimis notandus venit, in quo Imperator Lotharius præscribit; *ut nemo miles ultra annum & diem vadat, non petendo beneficiis sui investituram a filio vel successore domini sui, vel post mortem patris, vel alterius, cui succedere debet, nisi justa causa intervenerit, cur non petierit, veluti mortis &c. & si non petierit*, indistincte *damnari* jubet vasallum. Hæc Lotharii lex unicum casum, nimirum, *si justa causa intervenerit*, a privationis pœna excipit. Quæ autem illæ causæ sint, aliquot in hac Constitutione, & plures in aliis Feudorum textibus recensentur, de quibus vid. HORN. C. de Renov. Invest. & STRUV. Syntagm. Jur. F. C. X. p. 304. & al. comment. DD. Cum hac Imperatoris Constitutione OBERTUS *II. Feud. 24.* pr. consentit, investituræ omissionem inter primas beneficii amittendi causas referens: *Prima*, inquit, *causa beneficii amittendi est, quod si vasallus per*

Rationes dubitandi ex Legibus Longob. sumtæ.

annum & diem steterit, domino suo mortuo, quod heredem domini sui investituram petendo, fidelitatem pollicendo, non adierit, tanquam ingratus exsistens, beneficium amittit. Quibus verbis, *tanquam ingratus*, causa seu ratio sanctionis ab ingratitudine petita adstruitur. Nimirum comparationem Legislatores fecisse videntur, inter donantem & donatarium, nec non dominum & vasallum. Quemadmodum enim donans donationem inter vivos susceptam, ob ingratitudinem donatarii revocare potest, *l. 1 & fin. C. de Revoc. Donat*; ita jure summo beneficiarium, ob non petitam investituram intra terminum præfixum, tanquam ingratum, & debitum domino honorem denegantem, feudo privari posse existimarunt. Solum vero dolum non tantummodo, sed culpam etiam & negligentiam, ut feudum caducum fiat, sufficere, ex eodem cap. *II. Feud. 24. princ. in fin.* verbis: *neglexerit petere investituram*, apparet. Quod ipsum Imperator Fridericus clare & perspicue repetit *II. Feud. 55. §. Præterea, si quis sua incuria & negligentia per annum & diem steterit, quod Feudi investituram a domino proprio non petierit, transacto hoc spatio feudum amittat, & ad dominum redeat. &c.* Sub *incuriæ* autem & *negligentiæ* verbo, non dolum, sed culpam jure Feudali intelligi, res certa est. Proinde *II. Feud. 24. §. 2.* verb: *quod si non fecerit*, dolus & negligentia distincte exprimuntur, & utraque tam fraudulenta, quam ex negligentia proveniens investituræ omissio, pari, & eadem feudi jacturæ pœna dignæ censentur.

Rationes dubitandi ex Legibus patriis antiquioribus.

§. XVI. Hæ vero Longobardorum leges in Germaniæ foro consuetudine receptæ, ut instar Patrii Juris, vim suam in subsidium exercere queant; eo majori pondere sententiam DDs. probare videntur; quum Jus Feudale Saxonicum, expresso tenore consentiat, Jus Electorale autem idem confirmet. Nam *Cap. VII. §. fin. Jur. Sax. F.* ita sancitur: *Ob der Mann*

ver-

verschmähet das Lehn, das dem Herrn ledig wird, und ihm das nicht zuziehet in Jahr und Tag, von den ist der Herr ledig, der Mann thue denn seine Unschuld, daß er es nicht gewust hatte, daß es ledig wäre &c. Nullum scilicet discrimen inter culpam & dolum factum est, sed pœna caducitatis indistincte definitur. Quod, uti *Cap. XXV.* repetitur; ita *Jus Alemann. F. Cap. XV.* convenire prioribus videtur. Quid, quod adversarii *Constit. Elect. P. II. 45. Von Versäumniß der Lehn*, in genere disponentem, huc trahere, & ejus cum textibus Longobardicis consensum elicere studeant. Illam etenim in unicum casum, si dolose omissa fuerit renovatio, non restringendam esse arbitrantur, sed Legislatorem ad Longob. & patrias respexisse leges, eamque ob rem obscure & generaliter, in dicta Constitutione prolata, secundum consuetas interpretationis regulas, ex veteribus Longob. & Saxon. Institutis, tanquam suppletoriis, explicanda & supplenda esse. Imprimis cum verendum sit, ne omnis hæc Constitutio, si de dolosa tantum Investituræ omissione loqui dicatur, eludatur; quia talis casus, quo vasallus ex contemtu & proæresi pietatem, investituram renovando, domino directo debitam, negligit, vix existere solet. Jura autem de rebus frequenter & plurimum exsistentibus, non de iis, quæ uno aliquo casu accidunt, constituuntur, per l. 3. 4. 5. π. *de Legibus.*

§. XVII. Et, si hæc cuncta, ita, prout dicta sunt, se non haberent; adversæ tamen nobis sententiæ defensores, *Mandato* se muniunt Divi JO. GEORGII IV. ELECT. *de A. 1691. d. 12. Nov.* promulgato, cuj. Rubric. *Wie es mit Suchung der Lehn, und waß selbiger mehr anhængig, allenthalben ins künfftige zu halten.* In hujus Mandati §. *Wer dann also Uns seine Lehns-Pflicht &c. verb. Welcher die gewœhnliche Jahres-Frist, nach jeden sich begebenden Fall, also hinstreichen lest, und vor deren* Rat. dubit. ex Mandat. Joh. Georg. IV. de A. 1691.

 ren

ren Verlauff zum wenigsten nicht Indult erhalten, ob er schon supplicando eingekommen, soll selbiger Lehn-oder Mit Belehnschafft verlustig seyn. Es wære dann, daß er genungsame Zeugniß seiner gebrauchten Vigilanz, und daß er, wegen einiger, bey solchem Lehn vorhandenen Bedencklichkeit und Hinderniß nicht darzu gelangen mœchte, darthun kœnte &c. ea, quæ Longibard. & Jur. Sax. F. textibus pariter ac Constitutione *45. P. II.* constituta sunt, repetuntur, & per statutam in hujus mandati transgressores caducitatis pœnam, nulla facta doli aut culpæ differentia, confirmantur.

Rationes dubitandi ab Imperii Legibus.

§. XVIII. Accedunt Imperii Leges, in universum & absolute Investituræ renovationem injungentes; adeo, ut ne Feuda quidem Regalia excipiantur; veluti apparet ex *Ordinatione Regimenti Wormatiensis de A. 1521. §. Und behalten Uns &c. verb. Nach Verscheinung des ersten Jahres, darinnen einem jeden seine Regalien zu empfangen gebühret.* Quem pœnæ rigorem, BAVARUS & PALATINUS, tempore vicariatus, per *Edicta, de renovanda Imperialium Feodorum Investitura* publicata, approbarunt, in P. I. Diar. Europ. p. 668. & p. 748. it. ITTER. de Feud. Imp. Cap. XI. §. 4. Et hoc est, quod Autor *Speculi Suevici, Lib. II. Cap. 144.* intendit, asserens: *Wenn das Lehn verjæhret gegen den Pfaltz-Grafen von Rhein, so ist das Guth ledig dem Reich worden: Und verjæhrt jemand das Lehn gegen den Pfaltz-Grafen, so soll er (nemlich der Pfaltz-Graf) sich des Guthes unterwinden, dem Reich zu Nutz, und soll denn einen Kœnig wieder ausantworten, so der wird.* Id quod CAROLUS IV. in *A. B. Cap. V.* §. 1. ad omnia Feuda vexillaria extendit, Feudis Principum duntaxat exceptis, & illis, quæ *Vanlehn* vulgariter appellantur. v. SCHILT. Comment. ad Cap. XLII. Jur. Feud. Alemann. §. 2. p. 239.

§. XIX.

§. XIX. Præter tot tantasque Leges, quæ dissentientium thesi patrocinantur, ipsius analogia juris, & principia civilis justitiæ iisdem subvenire videntur. Deducunt quippe pœnæ hujus feudalis æquitatem, ex negotii feudalis qualitate & natura. Nimirum notum est, in civilibus plerumque causis latam præstari culpam, eamque dolo æquiparari l. 32. *Quod Nerva*, *π. Deposit.* præcipue autem in pecuniariis negotiis *l. 29. π. mandati vel contra*, & *l. 1. §. 1. π. si is qui testamento liber &c.* Eo etenim redit *lex 226. de Verb. Signif. Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus*, & *lex 32. π. mandati.* Sic etiam in actionibus, quibus de damnis resarciendis agitur, lata culpa dolo æquiparatur, *l. 29. pr. π. mandati*; æque ac in contractibus, & iis præsertim, qui utriusque contrahentis commodum respiciunt; ubi dolus non modo, sed lata levisque culpa præstatur, *per l. 5. §. 2. π. commod. vel contra.* Quod etiam ad delicta & causas restitutione damni dolum punientes, quamvis non malitia, sed negligentia tantum aut imperitia damnum datum fuerit, extenditur. *l. 1. §. 2. π. Si is, qui in testamento liber &c.* & *l. 1. §. 1. π. Si mensor falsum modum dixerit.* Cavendum quippe, ne ex alterius desidia alter damnum patiatur. Rationes dubitandi ab Analogia Juris.

§. XX. Applicantibus vero, quæ hactenus diximus, ad feudale negotium, omnia hic locum invenire videntur. Certum etenim est, contractus feudales maximam partem ad civilia pertinere negotia, licet quidam DD. eosdem peculiares, & a civilibus plane distinctos esse censeant. v. HORN. Cap. XII de Investit. §. 2. Quandoquidem nullum contractuum genus in Jure Civili reperiri dicant, ad quod commode referri possint. Attamen hoc quidem ratione formæ substantialis, vi cujus dominus vasallo rem in feudum tradit, mutuam pollicendo fidem, conceditur; quum vero pacta feudalia alioqui in genus contractuum veniant, quia verbum, con- Supra dicta ad Feuda applicantur.

Contractus, sensu latiori, pro qualicunque obligatione efficaci sumitur, vid. *l. 20. π. de Judiciis;* in feudali autem negocio mutua obligatio exoritur, & praeterea pro vero contractu δυπλεύρω, seu utriusque obligatorio, haberi debet; quoniam dominus vasallo, & vasallus vice versa domino obstringitur, contractus autem utique ad civilia negotia, seu, quibus quis civiliter obligatur, refertur; necessario hinc sequitur, quo genus referimus, nos etiam speciem referre debere. Et licet haec concedamus, contractusque de Feudis, a civilium genere separatos utique agnoscamus; extra dubitationis tamen aleam positum est, feudale negotium, quatenus interesse civile & pecuniarium respicit, actionesque ex eo profluentes rei persecutoriae sunt, non omnimode poenales, civilium contractuum naturam imitari. Nec nostrae sententiae patrocinari videtur, quod scilicet Felonia sub nomine delicti veniat, in delicto autem culpa, quoad effectum poenae a dolo separanda sit. Quamquam enim haec per se certa sit regula, *arg. l. penult. π. ad L. Jul. de adult.* quum delicta regulariter sine dolo haud committantur; ea tamen ita limitanda est, quod hoc nempe in gravioribus solum delictis, & suppliciis asperioribus procedat, LUDWELL. Tr. de Renov. Invest. cap. IV. p. 497. non vero in Felonia, quae multa tantum, aut alia civili poena vindicatur.

Rat. dubit. a similitudine donationis inter & feuda intercedente

§. XXI. Haut leve tandem argumentum ex natura Beneficiorum adversarii struunt. Quid enim aliud sunt Feuda, quam beneficia; quippe quae ex gratia & benevolentia dominorum proficisci dicuntur *II. Feud. 23*, & donationibus comparantur? ibid. Unde hoc modo rationem subducunt: Quemadmodum propter donatarii ingratitudinem donans juste revocat donationem, *l. 1. & fin. C. de revoc. donat.* ita etiam beneficiarius, omittendo investituram erga directum dominum ingratus, beneficium instar doni amittit. Cui opi-

opinioni majus robur addunt, eo, quod in omnibus feudorum textibus comparatio inter donatarium & beneficiarium instituatur, & Feloniæ sæpe crimen ingratitudinis nomine exprimatur *v. II. Feud. 23. §. De illa tamen &c. & II. Feud. 24. § 1. Est & alia ingratitudo &c. & §. Prædictis modis, verb. Donationis jure recte revocantur.* Uti vero plures ingratitudinis causæ enarrantur, ita hæc renovationis omissio in iis expresse comprehenditur. *II. Feud. 24. pr.* Quæ investituræ omissio, quum ad Feudi jacturam ipsa lege sufficiens pronuncietur, & nullo observato discrimine, utrum culpa an dolo admissa fuerit, eadem pœna digna censeatur; eo difficilius tot sancita a privato impugnari posse dicunt, cerebrina ducto æquitate, utpote quem potius secundum leges judicare, quam in eas inquirere decet. Et quamvis nemo inficiari queat, feuda hodie plerumque non titulo mere lucrativo, seu, ex sola domini gratia acquiri, sed oneroso, & pretio interveniente, proptereaque beneficia esse desinere, quia donatio ex mera liberalitate provenit, *l. 1. & fin. C. de revoc. donat.* ideoque hodierna feuda magis pro rebus pretio emptis quam beneficiis reputari, atque adeo leges tam duras huc applicari vix posse; hæc omnia tamen non obstare, quominus & hoc casu feudum gratuitum beneficium, & ex domini directi benevolentia profectum maneat, DD. tradunt, hisque rationibus probare annituntur, 1) respiciendum esse dicunt, ad primam feudorum qualitatem, cum olim omnia feuda, ea etiam, quæ nunc pretio comparantur, gratuita & a mera dominorum gratia profecta fuerint. 2) pretium pro clientela datum, ad mutandam feudi & vinculi vasallitici naturam haud sufficere, HORN. Cap. II. §. 12. de Natura Feudi 3) quamvis pretio comparatum sit feudum, respectu domini tamen illud beneficii naturam nequaquam exuere; propterea quod hic emtorem vasallum admittendo, & de re, quæ

 ad

ad ipsum noviter rediit, investiendo, satis benevolentiæ exerceat, dum scilicet me potius, quam alium vasallum dominus eligere voluerit, arg. *I. Feud. c.* 16. 20. 4. Et quidquid sit, vasallum de quo conqueratur, haud habere asserunt; quia feudalis negotii naturam, antequam se ipsi implicuerit, bene cognitam vasallus habere debuit; HORN. Cap. XVII. de Renov. Investit. §. 18. eaquepropter, quod tale bonum ambierit, sibimet ipsi ut imputet necesse est. Utpote cum injuria volenti non fiat, & omne damnum, quod sua quis culpa sentit, jure sensisse videatur, *l. 203. de Reg. Jur.* culpaque cuique sua, non alteri nocere debeat. *l. 26. §. fin. π. de Noxal. Action.*

Rat. dub. ab autoritate DD.

§. XXII. Quæ omnia magnam omnino autoritatem ex plurimorum consensu Doctorum nanciscuntur. Quos inter haud vulgari spendore eminent, JULIUS CLARUS de Feudis, Qv. 49. n. 1. 2. CURTIUS JUN. de Feudis, P. IV. Caus. 13. SCHURFFIUS in Consil. 16. in fin. & Consil. 99. ALEX. SOCINUS, CARPZOVIUS, LUDWELL. VULTEJUS, STRUVIUS, HORNIUS, aliique plures.

Transitio ad Rat. Decidendi.

§. XXIII. Hæc argumenta DD. præcipua sunt, quibus suam stabilire sententiam, eandem jacturæ feudi pœnam tam in negligentes, quam dolosos renovationis investituræ omissores statuentem, defendere contendunt. Fateor lubenter, nullius ea non esse momenti. Quid enim argumentis ex juris analogia, ipsius rei controversæ natura, & legum elegantissimarum juris tam Longobardici, quam Saxonici, necnon Germanici medulla sumtis præstat? Neque tamen tot & tanta momenta, qui meæ sententiæ partes, negligentiam a dolo, ratione multæ gradus, in renovationis omissione discernentis, deseram, me permovent. Cujus defensionem

Rationibus Decidendi generalia Axiomata seu

suscepturus, antequam ad rationes exponendas me accingam, principia quædam, cum ab æquitate, tum justitia civili sumta,

ta, præmittam; quæ & decidendi rationibus, & sufficienti objectionum discussioni non parum inservient.

Principia præmittuntur ex Jure eaque probantur.

§. XXIV. Notemus igitur 1) causas liberandi aliquem a pœna lege constituta, vel intrinsecas esse, vel extrinsecas. Intrinseca est, quando, si non injusta, dura tamen pœna ad factum comparata, deprehenditur. Extrinseca ex merito aliquo, aut alia re commendante, aut spe magna futuræ emendationis descendit, vid. GROT. de Jure B. & P. lib. II. c. 20. §. 25. Quod priorem, seu intrinsecam causam attinet, locum ea præcipue invenit in delictis, quæ per ignorantiam, culpam, aut animi infirmitatem vincibilem etiam, committuntur. Ea etenim pœnis, quæ in dolosa & præcogitata crimina juste constitutæ sunt, subjicere, durum esse videtur, v. PUFENDORFF. Jus Nat. & Gent. lib. VIII. c. 3. §. 14. p. 1171. Ad hæc rector, seu judex respicere debet, utpote qui loco DEI est. DEUS autem idem facit *Deut. XXII, 26. Ps. CIII, 8.* idemque nos facere jubet *Luc. VI, 36. 37. coll. Matth. VII, 1. 2.* Eo sane spectat Ciceronis aureum illud effatum; *Est pœnæ modus, sicut rerum reliquarum, & quædam mediocritas, Epist. XV. ad Brut.* Quod industrie a superiori judice observandum. *Nemo etenim puniendus est ultra meritum*, GROT. de Jure B. & P. L. II. Cap. 20. Idque Augustum Cæsarem fecisse, suasque leges sæpe egressum fuisse, laudat TACITUS Lib. III. Annal. Inde PROCOPIUS Goth. III. *Qui aliis molesti sunt, sive quod occupaverit eos ignorantia, sive quod oblivio supervenerit, his etiam ab iis, qui mala sunt passi, venia est danda.* Quod uti divinis præceptis juxta atque æquitati conveniens est; ita civilibus etiam injungitur legibus. Quid enim aliud Hermogenianus *l. 42. ff. de Pœnis: Interpretatione leges molliendas potius quam asperandas esse, intendit, quum ut pœnarum, sicut aliarum rerum mediocritas fit*, Cic. d. l. Cum quo Paulus JCtus consentit

Principium I. sumtum a Causis liberandi aliquem a pœna. Hæ sunt vel Intrinsecæ vel extrinsecæ.

In quibus delictis intrinseca causa obtineat.

fe[illegible] *l. 55. de Reg. Jur. In pœnalibus causis benignius interpretandum est :* nec non Marcianus *l. 11. π. de pœnis : Plane in levioribus causis proniores ad lenitatem judices esse debent, in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi ; & e. l. Perspiciendum est judicanti, ne quid durius constituatur, quam quod causa deposcit.* Huic autem ut satisfiat regulæ, causa mitigandæ pœnæ extrinseca considerandа venit, meritum scilicet in personæ, quæ punienda est, obveniens; utrum nempe illa facinus aliquod sponte commiserit, & deliberato, h. e. præeunte consultatione, aut non deliberato animo. Hac mente ARISTOTELES in moral. L. V. c. 10. damnum datum in tres distinguit classes ; dolum scilicet, culpam & casum, sequenti modo : *Quando ita, præter id, quod expectari potuit, damnum datur, erit infortunium,* (hoc DD. utplurimum casum appellant) *at si ita, ut prævideri aliquo modo potuerit & expectari, sed non improbo animo, culpa erit aliqua, at quoties quis id, quod faciet, sciens facit, injuriam* (h. e. dolum) *facit.* In his juste puniendis SENECA Natural. XI. Cap. 44. ubi de fulminibus loquitur, hanc normam præscribit : *Voluerunt admonere eos, quibus adversus hominum peccata fulminandum est, non eodem modo varia esse percutienda. Quædam frangi debere,* (hoc ipso dolum puniendum putat) *quædam distringi,* (hoc culpam) *quædam admoneri,* (hoc casum intelligit.)

Quid in extrinseca causa considerandum veniat ?

Princip. II. In puniendis delictis culpa a dolo sedulo distinguatur, necesse est.

§. XXV. Inde alterum pro defendenda nostra sententia principum fluit ; judici nimirum id incumbere officii, ut in delictorum animadversione culpam a dolo sedulo distinguat. Suadent hoc, secundum jam dicta, præter æqnitatem & naturæ rationem, ipsæ leges. Utique enim proæresis, seu dolus discernendus est a negligentia etiamsi magna, nec culpa lata dolo æquiparanda in delictis : neque enim doli quædam

præ-

præsumtio, seu proxime dolum accedens culpa eadem, qua ipse dolus, pœna coërceri debet. *l. 7. ad Leg. Cornel. C. de sicariis.*

§. XXVI. Quod adeo verum est, ut etiam in quibusdam civilium causarum, in quibus de restitutione damni agitur, locum obtineat, *l. 23. §. 2. ad Ædilitium Edict.* ubi in dolum, non errorem aut casum, hujus Edicti pœnâ animadvertitur; & in restituendo damno, quod venditor emtori præstat, id, quod scienter factum, ab ignorantia distinguitur. *l. 13. π. de Action. emt. vend. & l. 58. ibid.* Hocque idem in actionibus civilibus pœnalibus, ex eodem fundamento dicendum esse, STRUVIUS docet in Syntagm. Jur. Civ. Exercitat. XIX. §. 22. nisi speciatim exemptæ sint, aût ex singulari causa, tam ob dolum, quam latam culpam, eadem statuatur pœna. *l. 1. §. 2. π. si is, qui testamento liber &c.* Siquidem in pœnalibus judiciis ætati & imprudentiæ succurratur, Paulus *l. 108. π. de R. J.* Sub imprudentia vero culpam, quippe quæ effectus prioris est, intelligimus, & delicta regulariter sine dolo non committuntur. *l. penult. ad L. Jul. de adulteriis.*

Princip. III. Culpa a dolo distinguenda in causis civilibus, etiam in quibus de restitutione damni agitur exceptis iis quæ speciatim exemptæ sunt legum autoritate.

§. XXVII. Solicite autem culpa in pecuniariis etiam causis a dolo & proæresi discernenda est, præcipue si lex expresse mentionem doli faciat, *per l. 1. pr. π. Ne vis fiat ei qui in possession. missus &c.* Exemplum actio de dolo præbet, qua damnum culpa lata datum nequaquam reparari potest, *arg. l. 15. π. de dolo*, v. ECKHOLT ad h. t. pag. 194. Sic minores, si dolus eorum argui queat, beneficio restitutionis in integrum, excidunt; tutò tamen ad fructum ejus beneficii, si solummodo culpa lata eorundem intervenerit, adspirant. *l. 37. π. de Minoribus 25. ann.* Fœmina pariter SCto Vellejano, dolus ejusdem si demonstretur, prorsus non adjuvatur; non vero expers est hujus beneficii, culpam latam si admiserit, *l. 2. §. 3. π. ad SCtum Vellej. & l. 5. C. h. t.*

Princip. IV. Etiam in causis sæpe pecuniariis culpa a dolo discernenda, præcipue si lex in constituenda pœna, doli expresse mentionem faciat.

Princip. V. In legibus odiosis & pœnalibus restrictiva potius, quam extensiva interpretatio adhibenda.

§. XXIIX. Neque hoc prætermittendum, quod in odiosis legibus interpretatio stricta adhibenda sit, per *l. 19. π. de Lib. & posthum.* v. DD. & HORN. de Interpretatione LL. Cap. 3. Eam proinde lex 32: *Si Præses* &c. *π de Pœnis, in pœnis interpretionem faciendam* jubet, *ut minor pœna imposita videatur.* Ratio hujus legis collocata est in lege 22. *C. de Pœnis, pœnam ibi tantum esse*, sanciente, *ubi noxia est.* Consentit *l. 42. π. de Pœnis. Pœna non major esse debet delicto, & magis molliendа est, quam exasperanda.* Quamvis igitur hoc negari non possit, judicem secundum legem judicare, non illam sub censuram vocare debere; distingvimus tamen hic inter legem certam in se proponentem sententiam, adeoque interpretationem doctrinalem respuentem, quam restringere, aut extendere prohibitum est, *l. 23. π. de Legibus*, & inter legem pœnalem, ab alia lege dissentientem, nec adeo claram & perspicuam; præcipue, si ex substrata materia plus aliquem locutum esse, quam sensisse appareat. Substratam quippe materiam loquentis semper animo obversari probabile est, verba licet latius patere videantur. Hoc sane est, quod CELSUS monet *l. 17. π. de Legibus: Scire leges, non hoc est, verba scire earum, sed vim ac potestatem.* (conf. supra h. Diss. §. I.) Sæpe enim, ut verba rigore animum legislatoris superent, contingit. In tanta incertitudine, tam ratio constitutionis, quæ Legislatorem permovit, quam negotii natura, occasione cujus lata est, penitius inspicienda venit. Quia verba secundum materiam subjectam intelliguntur, *l. 67. π. de Reg. Jur.* & loquentem, vel scribentem sese naturæ actus sive negotii, de quo agitur, conformasse, atque de illo secundum naturam ejus loqui & sentire voluisse, verosimile est. HORN. Prælect. de Interpretat. Cap. II. §. 12.

Princip. VI. Si leges ambigue senti-

§. XXIX. Præsertim vero leges in benigniorem partem explicandæ sunt, si diversæ de una eademque re diversimode dispo-

disponentes reperiantur. Tunc certe illius, cujus mitior est sententia, eligitur, *arg. l. 42. π. de Pœnis.* Id ipsum *l. 26. & 28. π. de Legib.* præcipit: *Non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur, & posteriores etiam ad priores,* h. e. *corrigantur, determinentur & suppleantur, per Gl. DD. ad hanc l.* Notanda hic venit *l. 28. π. de LL.* adjecta limitatio: *Nisi contrariæ sint,* & quæritur; quid tunc legum interpreti incumbat? Respondemus autem; vel eam sententiam, quæ interpretationem certam usu & consuetudine habuit, amplectendam esse per *l. 23. π. de LL.* vel illam in dubio legem, cui ratio constitutionis adnexa est, præcipue si mitior sit ac benignior, prævalere, *arg. l. 32. π. de Pœn. & l. 17. & 24. de LL.* add. gloss. DD. ad h. l. Idem statuendum, si altera dubiarum legum cum facto dijudicando magis conveniat, aut si ratio constitutionis alia sit confirmata, aut si ipse legislator eam in Rescripto vel Epistola approbaverit, quas semper aliis præferendas esse leges, declarat *l. 12. C. de Leg. & Constit. Princip.* his verb. *Quodcunque Imperator per Epistolam & Subscriptionem statuit, & cognoscens decrevit, legem esse constat.*

unt, aut diversæ, de una eademque re diverse sanciunt, mitior est eligenda sententia.

§. XXX. Quare sciamus necesse est, Rescripta atque Decreta Principis, aut nomine Principis data, quibus, præeunte causæ cognitione, partibus sententia dicta est, non in hac solummodo causa, occasione cujus pronunciata sunt, sed in omnibus etiam similibus vim legum atque potestatem obtinere, *per l. 12. C. de LL. & Constitut. Princip. Quid enim majus, quid sanctius est Majestate, vel quis tantæ superbiæ fastidio tumidus est, ut Regalem sensum contemnat; cum & veteris juris conditores, Constitutiones, quæ ex Imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere, aperte dilucideque definiant;* JUSTINIANUS, d. l. exclamat. Si ergo hæc, quæ olim lege constituta erant, per Rescripta ejusmodi removeantur, & contrarium statuatur, juxta canonem illum vulgarem: *Lex posterior præjudicat:*

Princip. VII. Rescripta & Decreta Principis, quibus præeunte causæ cognitione partibus sententia dicta est, non in hac solum causa, sed in similibus, vim legum habent.

dicat priori, l. 18. π. de LL. pro abrogatis ea censeri concludimus. Qua virtute legislatoria Consuetudinem etiam gaudere, *l. 32. π. de LL.* Usumque fori per *l. 38. π. de LL.* verb: *Aut rerum perpetuo similiter judicatarum autoritatem, vim legis habere* &c. nemo inficiabitur.

Princ. VIII Consuetudo ac usus fori vim legis habent.

Princip. IX. Donatio, quæ ob ingratitudinem revocatur, gratuita esse debet, non remuneratoria.

§. XXXI. Tandem, quum Feuda donationi comparentur, eaque ex iisdem rationibus, ob quas donatio revocatur, amitti legibus constitutum sit: e re nostra erit, quedam de donatione, quando & quatenus ea ob ingratitudinem revocetur, præmittere. Notandum ergo 1) Donationem, quæ ob ingratitudinem revocatur, gratuitam esse debere, & ex mera liberalitate proficiscentem. 2) Ad donationis revocationem, atrocem requiri injuriam, & talem, qualem *l. fin. C. de Revoc. Donat.* expressam legimus. Prius per *l. 29. π. de Donat.* probatur. *Nam finis donationis est liberalitas & munificentia; utpote cum idcirco donator alteri aliquid donet, ut liberalitatem suam erga eum cum laude exerceat, l. 1. pr. π. de Donat. & l. 214. de Verb. Signif.* Remuneratoria igitur, quæ propter merita tam præcedentia, quam futura exercetur, nomine donationis gratuitæ haud venit. Lex enim revocationem permittens, tanquam odiosa, respectu scilicet donatarii, quà fieri potest, restringi debet, *arg. l. 19. π. de Lib. & Posthum.* eo magis, quo certius est, remuneratoriam non tam ex liberalitate, quam gratitudine oriri. Præsupponitur etenim, donatarium aut meruisse, aut meriturum esse donationem: id quod donationi mere gratuitæ contrarium est. *Donare quippe est, quod nullo jure cogente conceditur, per l. 29. π. de Donat.* Propterea donationes in concubinas collatas haud revocari posse PAPINIANUS l. 31. π. *de Donat.* judicat. Quare libertum eam, quam patrono dedit pecuniam, non revocare posse constat per d. l. vid. SCHNEIDEW. Institut. ad Tit. de Donat. §. 11. Posterius nostræ theseos membrum, eo, quod donatio non nisi ob atro-

Princip. X. Donatio non nisi ob atro-

cem

cem injuriam revocari queat, tendit. Idque per *l. fin. C. de Revoc. Donat.* comprobatur. Hæc namque constitutio quinque tantum ingratitudinis species, easque atroces & dolo conjunctas exprimens, adeo restringenda, ut ne majores quidem aut similes ingratitudinis causæ admittantur, neque a paritate rationis argumentum desumere liceat: nec ullibi, propter solam negligentiam donationem revocari, perhibetur, vid. CARPZ. P. II Constit. XII Defin. 31. & COCCEJ. Jus Controv. *ad tit. de Donat. Qu. 10.* cem injuriam revocatur.

§. XXXII. His itaque præmissis, applicando ea ad thema propositum, secundis jam velis ad nostræ sententiæ argumenta progredimur. 1) Primo autem pro ea militat *text. II. Feud. 51. c. 3.* quo legislator expresse sancit, vasallum, si *non dolose* per annum & diem steterit, quod a domino beneficii sui investituram non petierit, feudum propterea non amissurum esse. Exprimendo itaque dolum, tanquam solam & unicam causam, ob quam in Renovationis omissores jacturæ pœna cadit, culpam haud dubie & negligentiam excipit. Quæ Imperatoris voluntas eo certior ex decidendi ratione, quam præmisit, elucet. Nimirum: *quia inter dominum & vasallum nullum malum intervenire debet ingenium.* Quo verborum tenore intendit: tam arctum atque amicum fidei vinculum feudalis contractus autores colligare, ut, quemadmodum vasallus, qua fieri potest, pietate, amicitia atque fide domino suo deditus esse, & id, quod ejus salutem attinet, curare jubetur: ita vice versa dominus vasallum amet, ei confidat, nec quidquam mali de ipso suspicetur, multo minus, ob quamcunque rationem clientem, sine contemtus aut doli interventione, officium deserentem, feudo privare studeat. 2) Hoc autem, quod Imperator in *d. l.* tam severe injungit, non solum *II. Feud. c. 91.* explicite distinguendo dolum ab errore, verb. *non dolose*, repetitur; sed etiam 3) *II. Feud. 23. c. 1.* implicite in idem consentitur.

Rationes decidendi, quæ petuntur I. a Textibus Longobard.

I. 2. 3.

In quo OBERTUS ab Orto, de causis, ob quas Feudum amittitur, differens, atq; Feloniam ingratitudinis nomine insigniens, docet: *ad beneficii amissionem non omnem occasionem, per quam fidelis ingratus videtur, sufficere, sed egregias quasdam ingratitudinis causas dari, quibus demum existentibus feudum caducum reddatur.*
4. 4) Quod iterum *II. Feud.* 24. sequenti modo repetit: *Illud enim est certum, quod non ex omni causa, ex qua opinio vasalli gravatur, beneficium amittitur.* Proinde judicem, *ut solers & discretus & aequitati obsecundare solicitus, cuncta subtiliter dispensans, provideat, ut sciat, utrum beneficium amittendum, an nihilominus retinendum sit*, admonet d. l. Respicit quippe OBERTUS, uti ex toto capite apparet, ad pietatem, qua donatarius donanti obstrictus est, & ad causas ingratitudinis, ob quas donanti donum a donatario revocare legibus civilibus permittitur, *l. 10. C. de Revoc. Donat.* pariter ac ad illas, ob quas Pater filium exhaeredare potest, per *II. Feud. 24. §. 2. verb. Praedictis &c.* Quemadmodum vero illas causas atrocissimas & dolo conjunctas fuisse, ex Princip. X. §. h. Diss. XXXI. constat, *v. Nov. CXV.* ita easdem civiles leges ad amittendi feudi causas applicare contendens, non obquamlibet occasionem fidelem feudo privari posse affirmat.
5. 5) Quam caute autem OBERTUS in amissionis poena procedat, & quam provide ad dolum respiciat, eumque a culpa discernat, testis est *II. Feud. 26. §. Si vasallus feudum* &c. ubi *vasallo ex ignorantia feudum alienanti, ipsi,* (vasallo scil.) *non domino restituendum esse* monet. Notum vulgo est, neminem vasallum, nisi poenam amissionis incurrere velit, nesciente domino feudum alienare posse *I. Feud. 13. & II. Feud. 24. in fin.* Quia tamen, juxta dictam legem, sola alienatio dolosa subintelligitur, venditionem ex ignorantia factam, licet hic per ejusmodi ignorantiam aliqua intervenire culpa videatur, quum ignoraverit vasallus id, quod scire debebat, nihilo secius

remit-

remittit, & alienatorem a Felonia liberum pronunciat, *II. Feud.* 42. 6) Quid, quod *II. Feud.* 26. eousque vasallo indulgeat, *ut ipsum, feudum alienari scientem, nec idipsum domino aperientem*, (magna autem culpa est, scire damnum inferri domino & non indicare *II. Feud.* 24. §. 2. *verb. Præterea &c)* *propter solum doli defectum, feudum retinere jubeat.* add. MINCUCC. de Feud. Lib. IV. Cap. 35. & SCHILT. not. f. 6.

§. XXXIII Ex quo satis manifeste fluit, quam solicite feudorum compilatores, non immemores prudentiæ legislatoriæ, cujus supra §. XXIV. in I. Princip. mentionem injecimus, dolum a culpa, circa feudi jacturam, distinctum esse cupiant; simulque ostenditur, quam cauta reliquorum textuum, culpam dolo æquiparare apparentium, interpretatio instituenda sit, ne in regulas genuinæ constitutionum explicationis impingamus; repetantur ea, quæ supra diximus §. I XXVIII. & XXIX. Quamvis ergo leges supra dubitandi rationibus §. XV. insertæ, contrarium ediametro, feudique amissionem in culpa, præcipere videantur; satis tamen evidenter in §§. modo allegatis, legum pœnalium interpretationis normam & modum præscribentibus, demonstratum est, in diversis legibus diversimode circa pœnam disponentibus, mitiorem eligendam esse sententiam, præsertim si benigniori constitutione ratio movens legislatoris adjecta inveniatur, qualis est textus II. Feud. 52. cap. 3.

Textus Longob. culpam a dolo sedulo distinguunt; ex quibus reliqui textus explicari debent.

§. XXXIV. Cum etiam legum antinomiæ quovis modo evitandæ sint, quo nomine in textibus obstantibus culpa veniat, solide ut inquiramus necesse erit. In aprico est, culpæ vocem, non omni loco imprudentiam aut incuriam significare, *qua circa res alienas aliquid fit, quod fieri non debuit, vel non fit, quod fieri debuit:* (sic etenim culpa a DD. definitur *arg. l. 31. π. ad leg. Aquil.*) sed per eam *versutiam* sæpe intelligi, quæ vulgo *versutiæ culpa* audit, parum a dolo diffe-

II. Rat. Decid Quia culpa sensu latiori delictum comprehendit, & in hoc significatu ab autoribus partim, partim a Legislatore sumitur.

rens & eidem comparata, *v. Recess. Imper. de 1594. §. 69. Dieweil &c.* & COCCEJ. Jus Controv. P. I. p. 690. Hæc inquam culpa, cum vere dolus sit, pœnam doli recte subit, LUDWELL Comment. ad Reg. Jur. 23. p. 85. Quo sensu culpam accipere non solum JCti quandoque consveverunt, sed eadem significatio optimis styli Romani autoribus placuit. Sic enim HORATIUS canit Lib. IV. od. 5.

Culpam pœna premit comes.

vid. Commentar. JOH. MINELLII ad h. l. & CICERO in Orat. pro Sext. Roscio Amerino, Cap. XVI. verb. *Summam laudem Roscii vitio & culpæ dedisse &c.* Quibus in locis, quantum ex contextu liquet, culpa pro scelere & vero delicto sumitur. Quid igitur impedit, quominus culpam hoc sensu in Feud. textibus nobis contrariis intelligi arbitremur. Quod, ut ex rubro *1. Feud. 21. de Feudo sine culpa non amittendo*, elucet, ubi sub culpa, veluti ex nigro, seu ipso textu de Delictis mere dolosis agente, apparet, atrox delictum intelligitur. *collat. 1. Feud. 19. pr.* verb. *culpis &c.* ita idem ex delictorum in Feudis malitiam requirentium natura, juxta *text. II. Feud. 52. in fin.* verb. *non dolose*, & *II. Feud. 92.* per culpam nimirum & negligentiam, *dolum* solummodo, saltem *versutiam* exprimi, non insulse concludimus. Utpote qua interpretatione *LL.* principiis convenienti, quum substratam materiam animo loquentis semper obversari, verba licet latius pateant, credibile sit, antinomiæ evitantur, neque in regulam: *Pœnalium, in dubio mitiorem eligendam esse opinionem*, peccatur, per Princip. V. §. XXVIII. & Princip. VI. §. XXIX. supra h. Diss.

III. Rat. Dec. quia causa liberandi a pœna tam extrinseca quam intrinseca in hac materia loc. inveniat.

§. XXXV. Et quamvis modo enarrata interpretandi ratio, ex Romani sermonis idiomate desumta, talo non satis firmo stare existimari possit; nostram tamen sententiam causæ liberandi a pœna ex GROTIO allatæ, v. Princip. I. §. XXIV.

h.

h. Diff. suadent. Nam intrinseca pariter ac extrinseca caussa ad mitigationem multæ in vasallos investituram omittentes constitutæ, locum invenit. Intrinseca scilicet erat, *si non injusta, dura tamen respectu delicti pœna pronunciata sit.* Quid durius esse potest delicto dolose & ex proæresi patrato, factum æquiparare ex negligentia, vel ignorantia, vincibili licet, commissum, & eandem utrique pœnam constituere, præcipue, quum propter Legum diversitatem mitius partim, partim rigide punientium, eadem pœna incerta sit. Nonne hic *lex* 155. *de Reg. Jur. in pœnalibus benigne interpretandum esse, obtinet*? Nonne *gravitatem legum dubiarum benignitatis temperamento leniendam esse* constat? *l.* 11. π. *de Pœnis.* Alteram mitigandæ pœnæ, seu extrinsecam contemplantes, *meritum* scilicet *in persona, quæ punienda est*, eandem in nostri delicti specie deprehendimus. Non enim vasallus sponte & deliberato animo, aut præeunte aliqua mentis consultatione, sed ex negligentia nulla interveniente malitia, aut dominum lædendi proposito, id, quod officii est, omittit. Qua itaque ratione pœna doloso convenienti delicto multari poterit? præsertim cum hæc vasalli culpa in mera omissione consistat. Notum est vero, levem a DD. culpam omissione patratam, levissimæ in committendo se exerenti, æquiperari, æque ac lata culpa omissionis levi culpæ commissionis æqualis censetur, GABRIEL. MUDÆUS §. 6. ad l. Socius socio &c. & ROLAND. a VALLE, Vol. II. Consil. 64. it. gloss. DD. *in leg.* 9. π. *Solut. matrim.* Quod non considerantes *leg.* 108. π. *de Reg. Jur. ut in pœnalibus imprudentiæ voluntatem & propositum non habenti, judex succurrat, monenti* officimus, *Conf. l.* 53. π. *de Furtis.* Leges enim ita interpretandæ sunt, ne effectus iniquus vel absurdus proveniat, H. GROTIUS de J. B. & P. Lib. II. Cap. XVI. §. 26. THOMASIUS in Jurispr. Div. Lib. II. Cap. XII. §. 13. & HORN. de Interpret. LL. Cap. IV. §. 11.

IV. Rat. Dub. a natura Donationum, desumitur, quæ ob atrocem tantum injuriam revocantur.

§. XXXVI. His accedit, feuda donationibus æquiparari *II. Feud. 23.* & *II. Feud. 24. §. 2. verb. prædictis*: in puncto præcipue, quod revocationem feudi attinet, v. Princip. IX. & X. Diss. §. XXXI. Quemadmodum autem non ob qualemcunque causam donum a donante revocari posse, jure constitutum est, sed atrox & dolo conjuncta injuria requiritur, *l. 1. & fin. C. de Revoc. Donat.* ita per conclusionem legibus consentaneam, causam, ob quam clienti, tanquam donatario, beneficium præripiatur, gravem & magnam esse oportet, imo tantam, ut propter eam filius exhæredari queat, *II. Feud.* 24. Intuentes vero singulas, tam exhæredationis, quam revocandæ donationis causas, nullam, quæ non cum dolo & malitia mixta sit, invenimus, *l. fin. C. de Revoc. Donat.* & *Nov.* 115. Si ergo justa ac legibus conveniens a donatione & exhæredatione ad causas amittendi feudum conclusio instituitur, (institui autem debet *per II. Feud.* 24.) atrocem tantummodo & cum animi pravitate connexam injuriam desiderari, ultro sequitur. Eo magis, cum de utili auferrendo dominio, quod sine magna causa nemo dominus subdito auferre solet, agatur, *arg. l. 3. C. de Quadr. Præscript.* WESENBEC. P. VI. Consil. 291. Nunquam ergo simplex petendæ investituræ omissio, nisi juris analogiam offendere velimus, inter causas jactura feudi dignas, referri poterit. Neque hoc Longobardorum decreta intendunt, quod ex textibus supra in §. XXXII. allegatis, *dolum* explicite & *proæresin* in delicto feudi privatione coërcendo requirentibus, colligitur. Ex quibus reliqui textus, contra internam mentem durioribus compositi verbis, explicandi veniunt, v. Princip. V. §. XXIIX. & WESENBEC. P. VI. Consil. 261. Quid enim conditio restrictiva *II. Feud. 52.* adjecta: *Si vasallus non dolose steterit*, juvaret? *Sicut enim natura nihil frustra ponit aut operatur, ita nec lex; propterea nec verba ejus frustra appo-*

appoſita videri debent, v. WESENBEC. l. c. Proinde SOCINUS JUN. L. I. Conſil. 115. & DD. *per text. I. Feud. 22. c. 1.* §. 3. neminem privari feudo tradunt, NB. *Er hat es denn aus Verachtung des Lehns-Herrn gefährlicher Weiſe unterlaſſen.* Quod cum de vaſallo nunquam præſumatur, *arg. II. Feud. 52. c. fin.* inde domino committere feudum volenti, probatio doli atque contemtus neceſſario incumbit, v. WESENBEC. d. l. FICHARD. T. I. Conſil. 18. *& l. 6. C. de Dolo malo*, nec non *l. 18. §. 1. π. de Probat. & Præſumt.* Poſcunt hoc jura & judicia, *quæ magis ad abſolvendum, quam condemnandum, licet ſuſpiciones adſint, propendent, arg. l. 47. π. de oblig. & action. it. l. 5. π. de pœnis, reorumque jura magis favorabilia, quam actorum pronuntiant.* Ex quibus ſatis perſpicue patet, qui favor ſit vaſallorum, *II. Feud. 34. §. 3.* & quantum *text. II. Feud. 52.* cum reliquis, in mitiorem partem abeuntibus, juris analogiæ conveniat, quamque provide durioribus ſit præferendus, v. MENOCH. Conſil. CIV. n. 32. & Princip. VI. h. Diſſ. §. XXIX.

Judicia plus reis favent, quam actoribus.

§. XXXVII. Ut vero donationis revocatio, ob atrocem tantum, nec qualemcunque injuriam permittitur, ita hoc ad remuneratoriam, ob merita tam præterita, quam futura factam, non extendi poſſe, ſupra in Princip. IX. §. XXXI. ſatis prolixe oſtendimus; utpote quæ ob nullam plane cauſam revocatur, *l. 27. π. de Donat. l. 26. π. de Condict. indeb.* Adaptantibus hæc ad Feuda, ſatis perſpicuum eſt, clientibus eadem a domino, aut propter præteriti temporis merita, aut propter futura; ut fide ſcilicet domino conjunctus ſit, ſervitia præſtet, ſæpe etiam Laudemium ſolvat, conceſſa, ad remuneratorias potius, quam mere gratuitas referenda eſſe. Quare eo cautius in condemnandi vaſallum cauſis procedamus, neceſſe eſt. Concludamus enim a majori ad minus: Si in donatione gratuita non niſi ob atrocem injuriam, donatio a donatario aufertur; multo

In Remuneratoriis autem revocatio donationis non obtinet, quibus feuda comparantur.

multo majori circumspectione cum beneficiario, feudum instar donationis remuneratoriæ propter servitia præstanda accipiente, in delictorum materia agendum est. Ex quo evincimus, solas in feudorum institutis expressas causas, & tales, quæ dolo committuntur, ad privationem desiderari, legesque, cum in genere a donatione ad feuda argumententur, ne mentem sensumque earum offendamus, qua fieri potest, in benigniorem partem interpretandas esse. v. Princip. V. §. XXVIII.

V. Rat. Dec. a discrimine, quod inter Longob. feuda, & nostri ævi beneficia intercedit.
1 Longobardica nimirum Titulo lucrativo acquirebantur, nostra vero oneroso.

§ XXXVIII. Magis prætere æquitatem sententiæ nostræ feudorum præsentis ævi qualitas, à Longobardorum beneficiis nimium quantum diversa, suadet. Constat quippe, Feuda a dominis olim directis gratuito & nullo interveniente pretio vasallis concessa, magnis hodie sumtibus & titulo plerumque oneroso comparari. Quare illa Longobardorum sancita, suo tempore juste lata, aut plane non, aut curata saltem deliberatione, ad nostras adplicandæ veniunt clientelas. Principio nempe Feudorum, jure investituræ renovationem leges tam sollicite urgebant, cum æquum esset, ut vasallus beneficio donatus gratuito, quacunque occasione per investituræ renovationem, se Feudum domini potius, & primi acquirentis beneficio, quam successione, aut meritis quibusdam obtinuisse, confiteretur. Opus proinde erat ejusmodi sancitis, quibus malitiæ hominum, ne videlicet vasallus, temporis tractu dominium dolose præscribendo, feudali se vinculo extricaret, cancelli ponerentur. At vero, mutatam rerum jam esse conditionem, quem fugit? Feuda titulo non lucrativo acquiruntur: & quamvis sub nomine beneficiorum adhucdum veniant; re tamen vera, non aliter, (salvo nexu feudali) ac res aliæ emtionis contractu acquisitæ, considerari queunt. In quacunque enim rei alienatione, si pretium rei, seu fundi valori conveniens, intervenit, emti venditi, non donationis contractum celebrari, leges affirmant. v. *gloss. DD. ad l. fin. C. de Revoc. Donat.*

Donat. Et quamvis a contrahentibus, feudum, vel beneficium dicatur, hoc tamen nihil ad rem facit; cum id, quod in veritate consistit, attendatur, nec per appellationem partium, ipsius contractus veritas immutetur: ipsum quippe beneficium, tituli onerosi naturam in alienam formam haud convertit. MATH. de AFFLICTIS, Decis. Neapol. LXXII. §.9.10. p.106. & GVID. PAPA Qv.155. Fingamus enim, aliquem ædes suas vendere constituisse; accurrere emtores magno impetu ac insigni frequentia; ipsas ædes vendendas ita esse comparatas, ut in emtorem earundem insigne lucrum redundare possit; quis quæso in dubium vocare ausit, venditorem haud vulgari eum excipere beneficio, cui præ ceteris favet, ac ædium suarum dominium, interveniente titulo emtionis venditionis cedit. Quidquid vero hujus rei sit, qualecunque etiam beneficium dicatur, non tamen propterea natura emtionis immutatur, qualitate tituli onerosi remanente. Prono hinc fluere alveo, nemo non intelligit, procul nos ab æquitatis ac justitiæ tramite discessuros esse, si hominem feudo, oneroso satis titulo acquisito, ideo solum, quod ex mera negligentia, nullo intercedente dolo ac domini contemtu, investituram renovandam non curaverit, privandum existimaremus. Eo magis, cum domino directo non hodie, æque ac olim, condictio causa data causa non secuta, subveniat; quia nimirum nostra ætate, pretii solutio, non vero spes servitiorum, princeps clientelæ concessæ causa existit. vid. de LUDEWIG Diss. de Prorogat. Indult. Cap.V. §. 5.

Condictio causa data causa non secuta, domino directo hodie ad feudum propter omissionem Investituræ revocandum haud subvenit.

§. XXXIX. Novum præterea nostrorum & prioris seculi feudorum discrimen accedit, cum ea quondam de munere Regum concessa, ac proinde *beneficia*, *honores* & *ministeria* dicta fuerint; utpote quæ viris nobilibus, nec non militibus, ad obeunda servitia militaria tradebantur; du FRESNE, in Glossar. sub voce, *Beneficium*, quorum fructibus, nummorum

2) Olim feuda non hæreditaria erant: ast nunc talia sunt, jurisque necessarii.

 deficien-

deficiente apparatu, quo castra sequentibus stipendia constituerentur, instar stipendiorum utebantur. HADR. VALESIUS Rer. Francicar. Lib. VII. p. 360. Hæc Feuda primum annua, & ad tempus concessa, quocunque modo aut tempore domino placuerat, iterum auferri poterant, *I. Feud.* 1. §. 1. donec paulo post, ad vitæ saltim tempus vasallis traderentur. Non tamen ad possessorum filios, jure successionis pertinebant, sed domini arbitrio, utrum ea in filium patris transferre vellet, an minus, relictum fuerat. v. STRUV. Hist. Jur. Feud. §. 9. Aliter longe se res hodie habet, ubi hæreditaria facta sunt beneficia, & successione magis, quam ex Principum gratia conferuntur: Ex quibus, investituram non dominorum nunc arbitrii, sed juris necessarii esse, liquet; quippe qui clientelas, non more originis feudorum amplius conferre, sed confirmare tantum solent. Quare nostri beneficia temporis, quoad jus succedendi instar patrimonialium esse, GVIDO PAPA affirmat in Decis. Gratinop. Qv. LIX. §. 2.

In Feudis autem hæreditariis olim nulla opus fuit investituræ renovatione.

§. XL. In hoc autem beneficiorum genere nulla olim opus fuisse investituræ renovatione, de LUDEWIG, in laudata Diss. illustri feudorum SILESIÆ exemplo evincit; quorum eam esse rationem, ut nunquam vasallus ab hærede domini, renovationem aut confirmationem feudi petere cogatur, hocque plurimos communi consensu DD. affirmare, HENELIUS in Silesiograph. Cap. VI. p. 77. tradit. vid. de LUDEWIG in d. Diss. append. lit. A. Cui fragmentum ex SCHICKFUSII libro inedito, de feud. Siles. idem adjecit: ex quo Renovationem investiturarum SILESIÆ olim ignotam, ejusque omissionem rei feudalis amissione haut punitam fuisse edocemur: quod sæpe laudatus Dn. de LUDEWIG, de ANGLIÆ, SCOTIÆ aliarumque provinciarum beneficiis affirmat.

Ratio decid: VI. ab origine Feudo-

§. XLI. Quin etiam non ignotum est, plurima GERMANIÆ feuda ex *oblatorum* genere esse. Quorum origini Diffidatio-

dationes partim frequentissimæ, in vernacula, *das Faust- und Stegreiff-Recht*. v. Diss. Illustr. THOMASII de Feud. oblat. §. 13. quibus solenne erat, ut, qui viribus diffidebant suis, potentioribus offerrent, eaque ab ipsis, promissa mutua fide, ut feuda reciperent, atque tutela dominorum & patrocinio contra inimicos fruerentur; partim superstitiosorum erga Ecclesias religio, quæ prioribus seculis ad summum usque pervenerat, quibus ultro bona sua offerebant; partim aliæ causæ in d. Diss. commemoratæ, ansam præbuerunt. Cui voluntariæ oblationi complures Imperii Principes, arctum cum Imperio Germanico nexum debere, non modo MONZAMBANO de statu Imperii Germanici, Cap. III. §. 3. sed etiam ITTERUS, alioqui MONZAMBANO adversus, Cap. I. §. 12. de Feud. Imp. varia hujus generis feudorum exempla adduxit, cum quo HORN. Cap. IV. de Feud. Impropr. §. XIV. & XVI. consentit.

rum Germanicorum sumitur; quorum pleraque ex genere Oblatorum sunt.

§. XLII. Quis vero non videt, prædiorum ejusmodi oblatione, dominum a vasallo potius, per directi traditionem dominii, quam vasallum a domino beneficium accepisse, atque adeo nimium quantum nostri ævi ac Germaniæ Feuda a Longobardorum beneficiis differre. Proinde in ejusmodi feudis oblatis jus tantum clientelare dominum acquirere, tradiderunt RHETIUS ad I. Feud. I. & ITTERUS de Feud. Imp. Cap. I. §. 12. mitiusque vasallos, ejusmodi feudorum possessores, in pristinæ memoriam libertatis, habendos esse affirmat LYNCKERUS de Gravam. Extrajud. Cap. V. Sect. I. §. 24. Ex quibus apparet, dominum directo facilius dominio, quod vasallo largitore nactus est, quam vasallum utili excidere posse, legesque ideo Longobardicas, si vel maxime renovationem tam severe svadeant, ratione dispositionis deficiente, nostris haud aptari debere clientelis. v. supra §. IV.

In Feudis oblatis dominus a vasallo beneficium potius accipit, quam vasallus a domino.

§. XLIII. Et, ut taceamus, gratuitas olim fuisse investituras, earumque renovationem, cum hodie non raro, pro hujus,

Rat. dec. VII. Investituræ olim gratuitæ erant, ho-

vel

vel illius loci consuetudine, Laudemia præstentur: HORN. Cap. XVII. §.21. accessit, quod rei potius, quam personæ vasalli, servitia inhæreant; unde parum interesse videtur, utrum Dominus noverit robur, habitum, dexteritatem, artes atque præstantiam vasalli; quem tamen olim non ultimum renovandæ investituræ finem fuisse constat. vid. de LUDEWIG in d. Diss. Cap. V.

die autem quandoque onerosæ.

R. dec. VIII. Servitia feudali fundo potius, quam personæ vasalli inhærent.

R. decid. IX. In Saxonia Renovatio Investit. non tam necessaria esse videtur, propterea, quod finis ejusd. in Jurisjurandi præstatione consistens, maximam partem cesset.

§. XLIV. Quam parum porro hodie in SAXONIÆ clientelis renovatione investituræ opus sit, exinde elucescit, quod finis ipsius, eo præcipue tendens, ut dominus a vasallo agnoscatur, & jusjurandum fidelitatis, quod cum morte jurantis quoad vinculum perjurii exspiravit, vid. *DD. ad Cap. XIV. X. de Jurejur.* denuo a vasallo præstetur, evanescat. Siquidem vasalli subditi sunt, & homagium non minus, quam fidelitatis jusjurandum præstiterunt. Quare licet feuda non teneant, cum vita tamen & fortunis Principi obstringuntur; ideoque, quamvis renovationem intra legitimum tempus neglexerint, illam tamen sine periculo & detrimento domini, differre queunt.

Rat. decid. X. Feuda exigua ob omissam Renovationem Investit. in Saxonia non amittuntur; a quibus ad majora concluditur.

§. XLV. Ex his, rigorem illum LL. Feudalium feudi amissionem minantium, in SAXONIA evanuisse colligimus. Exemplum sane egregium in feudis exiguis offendimus, quorum possessores renovationem intra legitimum tempus omittentes, non privari iis, sed arbitraria puniri mulcta constat. v. STRUV. Syntagm. J. F. Cap. X. HORN. Cap. XVII. §. 18 & ROSENTHAL. Cap. VII. Conclus. 32 n. 3. Quin ipse CARPZOVIUS strenuus alias veterum admirator legum, feuda exigua, ut sunt: *Die Schultzen-Güther, Mann-Lehn*, non suo cadere jure, etiamsi intra anni & diei spatium investituræ renovationem vasalli non petierint, fatetur, P. II. Defin. 21. ad Constit. 45. A quibus ad majora concludere non prohibemur, sed rationis potius similitudine adjuvamur; utpote

qvum

qvum feudum exiguum non minus feudum fit, atque magnum. Quod ergo textus de beneficiis indiſtincte ſanciunt, de exiguo non minus ac de magno, ut intelligamus neceſſe eſt. VULTEJ. de Feud. l. 1. c. 7. §. 85. Neque CARPZOVIUM diſcrimen, quod minora hujusmodi feuda & magna intervenire exiſtimat, juvat, quod ſcilicet illa, propter annuas penſiones a poſſeſſoribus eorum perſolvendas, non titulo plane lucrativo, ſed oneroſo teneri videantur, hincque leges feudorum tam duræ, ad feuda exigua æque ac ad emphytevtica bona, haud extendendæ ſint. Reſpondemus etenim 1) feuda tam exigua, quam majora beneficia domini eſſe atque manere; quare leges de feudis indiſtincte loquentes utrumque complectuntur. 2) A bonis feudalibus, exiguis licet, ad Emphytevtica, concluſionem non valere, ut ipſemet fatetur P. II. Conſtit. 38. Defin. 20; cum hæc, tam ratione originis, quam formæ toto cœlo differant: quapropter legibus non diſtinguentibus, nec nobis, ſine urgente cauſa, idipſum facere, integrum eſt. 3) Penſiones annuas ex minoribus perſolvendas feudis, non tanti eſſe momenti, ut omnes reditus poſſeſſor in illas impendere debeat, propterea ratione reſidui ſaltem, intuitu cujus omittens renovationem, feudo vel maxime privari poteſt, lucrativis adnumeranda eſſe. Et ut tandem 4) quod res eſt, fateamur, nullum ſane, ſi penſiones reſpicias, inter majora & exigua Saxoniæ feuda reale diſcrimen reperitur; ſiquidem & illa, ut ſupra monuimus, non gratis, ſed oneroſe ut plurimum conceduntur. 5) Adhæc eorum poſſeſſores, aut operas & ſervitia militaria, aut annuam penſionem, quæ vulgo *Ritter-Pferd* audit, dominis præſtant. Quo ipſo CARPZOVIUS, exigua feuda a jacturæ pœna eximendo, majora autem indiſtincte amiſſionis multæ ſubmittendo, ſibi & legibus contradicere videtur.

Carpzov. diſcrimen, Feudis exiguis & majoribus, ratione tituli intercedere affirmans, refutatur.

E 3 §. XLVI.

Rat. dec. XI. Ex his elicitur, consuetudine contraria veteres leges pœnam privationis in omissores Renovationis statuentes, antiquatas esse.

Accedunt DD. testimonia.

§. XLVI. Inquirentes itaque in veram hujus consvetudinis, feuda exigua ob omissionem renovationis non amitti permittentis, indolem, facile perspicimus, per eam constitutionum veterum rigorem hodie in Saxonia antiquatum esse. Unde factum est, ut per longum jam temporis tractum, pœnam tam duram in omissores investituræ pronunciatam fuisse non meminerimus, quin potius in negligentia eorum, dominos connivisse, complures DDrum unanimi consensu affirmant. Audiamus Celeb. de LUDEWIG. conceptis verbis id asserentem, quando: *Imo*, inquit, *etiam temporum distinguantur intervalla, cum re ipsa constet, feuda in pejorem semper ivisse statum, & nexum clientelarem subinde factum esse laxiorem, ut pristini juris & rigoris vix umbra superesse videatur, instar servitutum apud Romanos, quæ principio immensæ, deinde remissæ, parum post imperio laxatæ, demum ita dissolutæ, ut domini mallent servis carere, quam alere eos ad despectum & ludibrium.* v. Diss. de Prorog. Indult. Cap. 1. §. 2. Hæc quamvis paulo durius dicta videantur, certum tamen est, mutatam feudorum, quoad acquisitionis modum, formam, contrariamque plurimarum Provinciarum consuetudinem, benigniorem in clientes dominorum voluntatem reddidisse. Consentit. WESENBECIUS P. VI. Conclus. 261. qui *feuda hodie ob investituræ neglectum, deficiente dolo, contemtuque domini, non caduca fieri, sed vasallis, qualicunque modo ratione neglectum excusare possint, indulgeri*, arbitratur. Ratio est supra a nobis commemorata, quia nimirum feuda non donatione amplius acquiruntur; & propterea ex qualicunque culpa revocari nequeunt. Requiritur ergo ad privationis pœnam, delictum dolo commissum: quale omissionem renovationis non dolosam esse, nemo serio contendet. Propterea FICHARDUS T. II. Consil. 13. n. 12. regulam, quod propter omissionem investi-

vestituræ fundus feudalis amittatur, tunc demum in plurimis GERMANIÆ partibus, *quando vasallus sciens volensque cum dolo & contumacia, intra legitimum tempus renovationem negligit*, *obtinere*, asserit. Et STRUVIUS in Syntagm. Cap. X. Aphor. 9. *vasallum minus etiam probabilem*, i. e. *fatuam excusationem obvertentem, tamen ad jusjurandum admitti sicque Lipsienses Scabinos pronuntiasse*, testis est. GAILIUS autem Lib. II. Observ. 48. §. 9. pariter ac HARTMANNUS PISTORIS Lib. II. Qu. 18. n. 8. *ad privationem feudi, scientiæ & contemtus probationem requiri, durumque esse, aliquem ob tam exigui temporis lapsum jure suo privari, nec solere dominos beneficos vasallis, ex sola culpa, feuda eripere*, explicite testantur. Cujus etiam sententiæ sunt THOMAS GRAMMATICUS & CÆSAR URSILLUS in Annotat. ad MATH. de AFFLICT. Decis. 265. n. 89. 90. §. 95. qui *hodie non amplius clientes propter denunciationem non intra legitimum tempus factam privari feudis, sed ad summum arbitraria tantum pœna multari*, commemorant. Idem etiam ROSENTHAL. Cap. VI. Concl. 56. n. 1. 2. *vasallum* scilicet, *modo dolose non egerit*, *excusari*, *omnium in ore esse* perhibet. Neminem vero, modo causam omissionis stolidam ac fatuam afferat, in dolo esse, constat ex *l. 12. §. 1. 2. π. de Liberal. Caus.* Proinde ipse CARPZOVIUS P. II. ad Constit. 45. Mens. Aug. A. 1630. *in causa Abrahami & Joachimi a Dybren*, quorum uterque renovationem omiserat, eosdem, modo jurent: *Daß der Verzug der Lehns-Muthung nicht dolose geschehen &c.* Responso Scabin. Lips. absolutos fuisse fatetur. Alios silentio prætereo.

§. XLVII. Quæ omnia, ut per se, ex supra dictis luce sua radiant, ita eo firmiori talo nituntur, cum jure Saxonico Electorali *P. II. Constit. 45.* in omissores renovationis pœna dam dura plane non constituatur. Quæ Constitutio, si vel maxi- Rat. dec. XII. argumento Constit. El. 45. P. II.

maxime se ad antiquiores leges referat, unice tamen ad omissionem malitiosam ex contemtu factam restringenda est; eo, quod contra veterum institutorum argumenta, simultaneè investitis quoque renovationem injungat; eaque propter tanquam novior atque exorbitans, strictissimæ interpretationi subjicienda est. Quam sententiam benigniorem non parum Usus fori suffulcit; utpote cum longo abhinc tempore, eadem SUMMO PROVOCATIONUM SENATUI, qui Dresdæ est, contunuo placuisse constet, HORN. Jurispr. Feud. Cap. XVII. Quemadmodum vero *Usus fori, consvetudo legis interpretativa* dicitur, v. ECKOLT. Compend. Pandect. ad Tit. de LL. SCtis §. 26; ita eandem vim suam in dicta Constitutione exercere, non dubitamus. *Nam Usus fori, aut observantia communiter, quid in causis in judicio decidendis, jure scripto non determinatis, statuendum sit, determinare solet*, v. SCHWENDENDOERFF. ad ECKOLT. d. §.

R. dec. XIII. Mandat. Div. Joh. Georg. IV. explicatur, & ostenditur, quod in eo pœna amissionis non indistincte statuatur.

§ XLVIII. Neque nostram thesin infringit Div. JO. GEORGII IV. *El. Mandat. de A.* 1691. cuj. Rubr: *Wie es mit Suchung der Lehn, und was selbiger mehr anhængig, allenthalben ins künfftige zu halten. §. Wer denn also aus seiner Pflicht &c.* Siquidem illud tam severam in renovationis omissores pœnam, uti ex ejusdem §. verb. fin. patet: *Es wære dann &c.* non absolute statuit, sed vasallo, antequam privetur, se excusandi libertatem concedit. Sub verbis autem: *Bedencklichkeit und Hinderniß*, non justæ tantum causæ, in Longobardorum textibus expressæ, quæ ipso jure excusant, intelliguntur. Iis enim existentibus, vasallus non opus habet investituræ aut indulti petitione: quippe qui a pœna jacturæ ipso jure securus est; quum omnes causæ a mora excusantes, ob omissionem renovationis veniam mereantur. HORN. Cap. XVII. §. 17. sed aliæ etiam leviores que, Longobardorum textibus non definitiæ comprehendun-

tur,

tur, quales de LUDEWIG in d. Diss. Cap. V. §. 5. n. e. exempli loco adduxit. Quare cliens aliquam ignorantiam obvertat, minus probabilem etiam, aut, ut loqui amant, vincibilem, modo jurejurando eam probet, ad purgationem omnino sufficiet. v. STRUV. Cap. X. Aphorism. 9. Nam culpam latam in feudis oneroso præsertim titulo quæsitis, excusari, *text. II. Feud. 52.* urget. Lege autem explicite doli mentionem faciente, ne in pecuniariis quidem caussis culpa lata dolo æquiparatur. *arg. l. 1. pr.* & §. *4. π. Ne vis fiat ei, qui in possess.* add. SYLVAN. de Recogn. Feudi Qu. 64. n. 7. & Qu. 66. n. 3. Sicut vero ex jam demonstratis, ex sola culpa vasallo pœnam irrogari haud posse apparet, ita multo facilius doli suspicio avertetur, cum frivola quævis ac stulta causa a dolo excuset. *l. 3.* & *5. π. de liberali causa*, & gloss. *ad l. 1. π. de Abigeis. l. 14. C. ad L. Fab. de Plagiar.*

§. XLIX. Quodsi etiam dictum mandatum obstare tantisper concedamus, hoc tamen constat, secundum illud nunquam fere, ex quo promulgatum est, pronunciatum fuisse; dum non modo, ut supra § XLVII. h. Diss. monitum est, SUMMO PROVOCATIONUM SENATUI sæpius mitiorem ferre sententiam placuerit, sed etiam SERENISSIMUS ac POTENTISSIMUS REX noster eandem non semel adprobaverit. Utpote QUI A. 1697. Senatui Schneebergensis municipii, qui intra legitimum tempus, neque indultum petierat, neque se investiendum curaverat, per Rescriptum ignovit, addita ratione decidendi: *Nun dann vermœge eures unterthænigsten Berichts, diejenige, welche also ihre obliegende Schuldigkeit, der gebühr nach, nicht beobachtet, allerseits nicht so wohl aus geflißenen Vorsatz und einen contemtu, als aus Nachlæßigkeit pecciret; So wollen wir &c.* usque *nunmehro belieben werden.* Quibus verbis SERENISS.

Rat. Decid. XIII. secundum Mandat. Div. Jo. Georg. IV. non pronunciari, sed mitiorem sententiam Usu fori receptam esse evincitur.

RENISS. LEGISLATOREM Constitutiones & mandata priora, interpretatione authentica ad solum contemtum & dolum restrinxisse, videtur. Hac mente porro CLEMENTISS. REX per Recess. Imperial. de A. 1700. §. 25. universam & generalem gratiam, sine discrimine, omnibus investiturae omissoribus concessit. Nec ita multo post vasallo nobili hujus delicti reo, ex eadem ratione veniam dedit, eumque ad investituram admisit. Qua clementia A. 1707. d. 31. Mart. erga quinque vasallos nobiles, quarum singuli legitimum petendae renovationis spatium neglexerant, usus est, nostram veniae rationem, *quod scilicet suam ex nullo contemtu omiserint pietatem*, Rescripto adjiciendo. Et, quod nostrae non parum sententiae succurrit, eod. Rescript. verb. *Daß es hiebevor bey unserer Lehns-Curie dergestalt gehalten worden :* Consuetudinem Div. JO. GEORG. IV. Mandato contrariam agnovit & adprobavit. *Hæc Rescripta inserta legimus Cod. August. P. II. C. VII. von Lehns-Sachen. p. 1970. 74. 78. 79.* Quodsi etiam a praedii Feudalis possessore, delictum cum contemtus & Feloniae suspicione, eo quod longo temporis intervallo, quo diversi casus, quibus investitura petenda erat, exstiterunt, committatur, nec vasallus justam excusandi causam habeat; ne hoc quidem ad clientelae jacturam sufficit, utpote quum secundum *Erledig : Derer Landes - Gebrechen de A. 1661. Tit: von Justitien-Sachen* §. 55. causae prius cognitio & sententia privatoria necessario requiratur. Quare Cammerae, quem dicunt, Procurator, nomine quidem Fisci contra vasallum agit, nihilo tamen secius cum excusatione sua reus admittitur.

Rat. Decid. XIV. Non pauci Celeberr. DD. nostrae sententiae patrocinantur.

§. L. His igitur, pro sententia benigniori stabilienda, hactenus in medium prolatis argumentis, dilucide satis & perspicue nos expedisse atque demonstrasse arbitramur, *feuda hodie in Saxonia cumprimis, propter non dolosam investiturae reno-*

renovationis omissionem, neutiquam amitti. Cui sententiæ, quosdam Celeberr. JCtorum favisse, uti ex supra dictis, §. XLVI. constat, ita etiam ROLAND. a VALLE Vol. II. Consil. 64. in fin. & Vol. IV. Consil. ult. n. 158. HARTM. PISTORIS L. II. Qu. 18. n. 8. SOCINUS JUN. Vol. II. Consil. 115. n. 16. VULTEJ. de Feud. Lib. I. Cap. II. n. 24. STRUV. Syntagm. J. F. Cap. X. Aphorism. 9. n. 3. p. 388. MAURIT. KILON. Consil. P. I. Cons. 10. n. 8. RHET. Comment. ad J. F. L. I. Tit. 22. §. 1. verb. *damnentur.* n. 3. MATH. de AFFLICT. Decis. 264. & THOM. GRAMMATICUS ad dict. Decis. n. 89. Præcipue vero de LUDEWIG. in Diss. de Prorog. Indult. &c. veterum Longobardorum legum non-usum in hoc puncto expresse affirmarunt; WESENBECIUS autem Consil. 261. his verbis consentit: *Nunquam audivi, aut memini, aut legi, feudum ex tali causa revocatum fuisse, nisi conjuncto probatoque dolo ac domini contemtu.* Textus enim dolum vasalli ac contumaciam exigit, *II. Feud. 52. c. ult.* nec sufficit culpa, cum textus dolum requirat. Quibus SCHILTERUS Cap. 18. §. 4 p. 140. Cod. Jur. Alemann: *leges in Germania non secundum pœnam observari* perhibens, addi poterit. It. MAJER in Syntagm. Jur. Feud. Cap. XXIV. §. 7. p. 734. *arbitrariam hodie in omissores investituræ renovationis, in Germaniæ præcipue Curiis dictari solere*, tradit. Add. REUSNER. ad SCHNOBEL. de Feud. X. th. 8. l. c.

§. LI. His peractis, nihil amplius superest, quam ut satisfiat adversæ causæ patronis, respondendo ad argumenta eorum. Hinc ultimam operi huic manum impositurus, ad solutionem eorum me jamjam accingam. Quemadmodum vero ea ex Legibus partim, partim ex Analogia juris, partim ex rei substratæ natura desumta sunt, ita singulis singulatim occurram. Primus textus, quem obstare nobis putant, ex- Transitio ad Rationes Refutandi.

I. Rat. Ref. in qua 1. Feud. 22. explica-

 tat

tur, & genuinus sensus huj. textus demonstratur.

tat I. *Feud.* 22. (v. Ration. dubit. §. XV.) Hic vero ea minime probat, quæ eum probare existimant. Licet enim intra legitimum tempus investituram injungat, ejusque omissores damnari jubeat; nondum tamen evictum est, 1) utrum indistincte qualemcunque renovationis omissionem, an vero dolosam solummodo intelligat. Nec 2) constat, utrum verbo, *damnentur*, pœna jacturæ feudi intelligatur, an extraordinaria, an vero vasallus, judicio tantum conveniri jubeatur. Quæ ultima interpretatio reliquis præstat, propterea, quod verbum, *damnare*, non semper sensu, verbo *absolvere* contrario, sumatur, sed σύνταξιν sæpe vocis, *accusare* imitetur. Quo significatu a variis, iisque optimæ notæ auctoribus adhibitum reperitur. Sic ipse pater eloquentiæ, CICERO, *damnari ambitus*, in Brut. 48. Sic NEPOS *damnarunt eum proditionis*, in Themistocl. cap. VIII. §. 3. scripserunt. Quibus in locis idem significat, ac, *criminis accusare*. Unde plenius CICERO Lib. V. orat. in Verr. *nomine inquit*, *sceleris & conjurationis damnati* h. e. criminis accusati conjurationis. Proinde verbum, *damnatus* per Syncopen *damnas* idem, quod in vernacula, *verpflichtet* dicimus, exprimit. Quippe qua significatione testatores Romani legata relinquentes, utebantur: *Hæres meus damnas esto dare centum*, id est, obstrictus esto dare centum. Et hac significatione vocabulum, *damnentur*, in textu nostro sumi, exinde conjicimus; quia per *text. I. Feud. 21. verb. sancimus ut nemo miles sine cognita culpa beneficium amittat*, & *text. I. Feud. 22. §. 3. verb. Sancimus ut nemo miles adimatur de possessione sui beneficii, nisi convicta culpa &c.* constat, neminem vasallum, nisi præcedente cognitione causæ & sententia privatoria, clientela privari. Inde verbo, *damnentur*, Imperatoratorem velle, patet, ut vasallus omittens investituram, in judicium ad rationem reddendam, & delictum, cujus reus

est,

eſt, purgandum, vocetur. In cujus ſententiæ partes eunt, cum analogia juris idiomaque verbi, tum etiam *DD.* præcipue MAJERUS in Syntagm. Feud. C. 29. §. 9. & SCHNOBELIUS in Comment. Jur. Feud. L. I. tit. 22. Ex quo fluit, adverſariis huncce textum nihil, pro defendenda theſi ſua, auxilii præſtare.

§. LII. Eadem ratione *text. II. Feud. 24. pr.* non modo parum probare, ſed obſtare potius contrariæ ſententiæ cultoribus videtur. Quamvis enim OBERTUS in eo, renovationem intra legitimum tempus, adjecta amiſſionis comminatione injungat; ex verbis tamen, *tanquam ingratus exiſtens*, eum de doloſa renovationis omiſſione ſermonem facere colligo; reſpiciendo tam cauſas ad donationem revocandam ſufficientes, quas atroces & dolo mixtas eſſe oportet, v. Princip. X. & Rat. decid. §. XXXVI. quam reliquas in eodem tit. recenſitas amiſſionis cauſas, quam omnes atrociſſimas, iisque, ob quas filius exhæredatur, & donatario donum aufertur, æquales eſſe videmus, *II. Feud. 24.* Ejusmodi enim atrocia facta per vocem ingratitudinis exprimi, ex *Rubro* & *Nigr. text. II. Feud. 57.* innoteſcit. Quare ille OBERTI textus meæ ſententiæ non officit, ſed vaſallum potius doloſe inveſtituram omittentem feudo excidere mecum aſſerere videtur. II. Rat. Ref. interpretationem textus: II. Feud. 24. pr. comprehendens.

§. LIII. Ad tertiam legem nobis obſtantem quod attinet, quæ eſt *II. Feud. 55.* verb. *Præterea ſi quis &c.* negare haud poſſum, eam propter expreſſam *incuriam & negligentiam*, ob quam feudum amitti ſancit, reliquis refutatu difficiliorem eſſe: attamen, adhibita legibus convenienti interpretatione, non adeo nobis eam adverſari reperimus. Nam 1) ſupra dictis in Decid. Rat. II. §. XXXIV. reſpondemus, ubi per *culpam*, ſæpe crimen, vel delictum intelligi, prolixe demonſtratum eſt. Sicut autem *negligentia* & *incuria*, *culpæ* ſynonyma ſunt, ita iisdem III. Rat. Ref. mentem veram textus II. F. 52. v. Præterea. &c. exponens.

verbis culpam dolo mixtam, aut affectatam certe negligentiam, exprimi verosimile est. Observantes igitur 1) solidæ interpretationis regulas, in dubio verba secundum materiam substratam mitiganda esse censemus; cum verba legis asperiora, rigore, animum legislatoris superasse, eumque plus dixisse quam sensisse, probabile admodum sit; v. HORN. de Interpr. leg C. IV. eo magis, quod ex aliis textibus in mitiorem partem euntibus, mens legis evidentior ac planior appareat, notumque sit, *in dubio mitiorem semper amplectendam esse sententiam*. v. supra Princip. VI. §. XXIX.

IV. Rat. Ref. in qua II. Feud. 24 § 2. enucleatur.

§. LIV. Porro ad legem *II. Feud. 24. § 2.* verb. *quod si non fecerit, &c.* qua culpam a fraude distincte separari, & utramque privationis pœna dignam censeri, adversarii dicunt, reddo: loqui eam de periculo gravissimo vitæ domini ac fortunis interitum minanti, quod vasallus, vel negligentia vel fraude, *scienter* celavit, eumque feudo exuendum esse, præcipere. Nam & hoc loco negligentia dolo mixta intelligitur. Quid enim magis dolum redolet, quam scire alicui, cui pietatem & fidem debemus, vitæ insidias strui, & tamen eas non indicare. Quale profecto periculum ex omissione renovationis intra legitimum tempus, ad dominum nequaquam redundare in aprico est. Proinde OBERTUM h. l. negligentiam dolo mixtam, seu affectatam, præcipue cum eam fraudi præposuerit, intellexisse statuendum est.

V. Rat. Ref. qua II. F. 40. pr. revellitur.

§. LV. Ad *text. II. Feud. 40 pr.* renovationem feudi intra legitimum tempus, sub pœna amissionis injungentem, regero: illum in genere loquentem, per leges se clarius explicantes, interpretandum esse. Quemadmodum vero nullus, in omnibus Feudorum textibus, mentem evidentius hac de re suam prodit, quam *II. Feud. 52.* in quo sola fraus & dolus, ad omissionem renovationis, feudi jacturam multandam requiritur, simulque ratio sanctionis, verb. *quoniam inter dominum*

minum & vasallum nullum malum ingenium intervenire debet, adnexa est. Quapropter hic textus per supra dicta, Princ. VI. reliquis non modo præferendus est constitutionibus, sed hæ etiam obscuræ aut generales, ex illo interpretationem avthenticam nanciscuntur.

§. LVI. Nec adversariis, ultima *text. II. Feud.* 52. verba: *dolus autem abesse videtur, si justa causa impediente steterit*, subveniunt. Nam 1) replico procardico trito Philosoph: *Uno posito non tollitur alterum*, h. e. cum in hoc textu ponitur: *dolus abesse videtur*, &c. non sequitur: Ergo ob negligentiam, quam vasallus omittendo renovationem adhibuit, feudo privandus est. Sed 2) hoc tantummodo Imperator verbis illis intendit, quodsi justa omissionis causa vasallo obvenerit, suspicionem doli ipso jure cadere, ut ne habeat quidem cliens, cur se excuset. *I. Feud.* 22. Siquidem nec hodie propterea indultus petione opus esse, Dn. de LUDEWIG perhibet in Diss. de Prorog. Indult. Cap. V. §. 3. Si vero justa causa non adfuerit, sed negligenter, sine dolo omissa fuerit renovatio, dolum non quidem abesse videri: propterea tamen clientem non amittere beneficium, sed *arg. I. Feud.* 22. *verb. damnentur*, dignum esse, qui in judicium vocetur, & coram Paribus se a præsumtione doli, qui alias, justa existente causa non præsumitur, liberet. Hanc ut genuinam Imperatoris mentem esse censeo, ita reliquos textus secundum eam explicandos esse, supra jam monitum est.

VI. Rat. Ref. in qua ultima verba textus: II. F. 52. exponuntur.

§. LVII. Quod Saxonici Juris leges, ab adversæ causæ patronis, meam subvertendi sententiam gratia prolatas spectat, easdem, cum, vel plane de alia investitura loquantur, vel investituræ renovationem sine singularis adjectione pœnæ, injungant, parum ad rem facere persuasus sum. Caput enim VII. Jur. Sax. Feud. §. fin. mentem ejus penitius expendentes, non de renovatione investituræ veteris, de qua h. l. sermo est, sed

VII. Refutantur Sax. Jur. Ant. textus.

deficiente apparatu, quo castra sequentibus stipendia constituerentur, instar stipendiorum utebantur. HADR. VALESIUS Rer. Francicar. Lib. VII. p. 360. Hæc Feuda primum annua, & ad tempus concessa, quocunque modo aut tempore domino placuerat, iterum auferri poterant, *I. Feud. 1.* §. *1.* donec paulo post, ad vitæ saltim tempus vasallis traderentur. Non tamen ad possessorum filios, jure successionis pertinebant, sed domini arbitrio, utrum ea in filium patris transferre vellet, an minus, relictum fuerat. v. STRUV. Hist. Jur. Feud. §. 9. Aliter longe se res hodie habet, ubi hæreditaria facta sunt beneficia, & successione magis, quam ex Principum gratia conferuntur: Ex quibus, investituram non dominorum nunc arbitrii, sed juris necessarii esse, liquet; quippe qui clientelas, non more originis feudorum amplius conferre, sed confirmare tantum solent. Quare nostri beneficia temporis, quoad jus succedendi instar patrimonialium esse, GVIDO PAPA affirmat in Decis. Gratinop. Qv. LIX. §. 2.

In Feudis autem hæreditariis olim nulla opus fuit investituræ renovatione.

§. XL. In hoc autem beneficiorum genere nulla olim opus fuisse investituræ renovatione, de LUDEWIG, in laudata Diss. illustri feudorum SILESIÆ exemplo evincit; quorum eam esse rationem, ut nunquam vasallus ab hærede domini, renovationem aut confirmationem feudi petere cogatur, hocque plurimos communi consensu DD. affirmare, HENELIUS in Silesiograph. Cap. VI. p. 77. tradit. vid. de LUDEWIG in d. Diss. append. lit. A. Cui fragmentum ex SCHICKFUSII libro inedito, de feud. Siles. idem adjecit: ex quo Renovationem investiturarum SILESIÆ olim ignotam, ejusque omissionem rei feudalis amissione haut punitam fuisse edocemur: quod sæpe laudatus Dn. de LUDEWIG, de ANGLIÆ, SCOTIÆ aliarumque provinciarum beneficiis affirmat.

Ratio decid: VI. ab origine Feudo-

§. XLI. Quin etiam non ignotum est, plurima GERMANIÆ feuda ex *oblatorum* genere esse. Quorum origini. Diffidatio-

dationes partim frequentissimæ, in vernacula, *das Faust- und Stegreiff-Recht*, v. Diss. Illustr. THOMASII de Feud. oblat. §. 13. quibus solenne erat, ut, qui viribus diffidebant suis, potentioribus offerrent, eaque ab ipsis, promissa mutua fide, ut feuda reciperent, atque tutela dominorum & patrocinio contra inimicos fruerentur; partim superstitiosorum erga Ecclesias religio, quæ prioribus seculis ad summum usque pervenerat, quibus ultro bona sua offerebant; partim aliæ causæ in d. Diss. commemoratæ, ansam præbuerunt. Cui voluntariæ oblationi complures Imperii Principes, arctum cum Imperio Germanico nexum debere, non modo MONZAMBANO de statu Imperii Germanici, Cap. III. §. 3. sed etiam ITTERUS, alioqui MONZAMBANO adversus, Cap. I. §. 12. de Feud. Imp. varia hujus generis feudorum exempla adduxit, cum quo HORN. Cap. IV. de Feud. Impropr. §. XIV. & XVI. consentit. rum Germanicorum sumitur; quorum pleraque ex genere Oblatorum sunt.

§. XLII. Quis vero non videt, prædiorum ejusmodi oblatione, dominum a vasallo potius, per directi traditionem dominii, quam vasallum a domino beneficium accepisse, atque adeo nimium quantum nostri ævi ac Germaniæ Feuda a Longobardorum beneficiis differre. Proinde in ejusmodi feudis oblatis jus tantum clientelare dominum acquirere, tradiderunt RHETIUS ad I. Feud. I. & ITTERUS de Feud. Imp. Cap. I. §. 12. mitiusque vasallos, ejusmodi feudorum possessores, in pristinæ memoriam libertatis, habendos esse affirmat LYNCKERUS de Gravam. Extrajud. Cap. V. Sect. I. §. 24. Ex quibus apparet, dominum directo facilius dominio, quod vasallo largitore nactus est, quam vasallum utili excidere posse, legesque ideo Longobardicas, si vel maxime renovationem tam severe svadeant, ratione dispositionis deficiente, nostris haud aptari debere clientelis. v. supra §. IV.

In Feudis oblatis dominus a vasallo beneficium potius accipit, quam vasallus a domino.

§. XLIII. Et, ut taceamus, gratuitas olim fuisse investituras, earumque renovationem, cum hodie non raro, pro hujus,

Rat. dec. VII. Investituræ olim gratuitæ erant, ho-

 vel

die autem quandoque onerosæ. R. dec. VIII. Servitia feudali fundo potius, quam personæ vasalli inhærent.

vel illius loci consuetudine, Laudemia præstentur: HORN. Cap. XVII. §.21. accessit, quod rei potius, quam personæ vasalli, servitia inhæreant; unde parum interesse videtur, utrum Dominus noverit robur, habitum, dexteritatem, artes atque præstantiam vasalli; quem tamen olim non ultimum renovandæ investituræ finem fuisse constat. vid. de LUDEWIG in d. Diss. Cap. V.

R. decid. IX. In Saxonia Renovatio Investit. non tam necessaria esse videtur, propterea, quod finis ejusd. in Jurisjurandi præstatione consistens, maximam partem cesset.

§. XLIV. Quam parum porro hodie in SAXONIÆ clientelis renovatione investituræ opus sit, exinde elucescit, quod finis ipsius, eo præcipue tendens, ut dominus a vasallo agnoscatur, & jusjurandum fidelitatis, quod cum morte jurantis quoad vinculum perjurii exspiravit, vid. *DD. ad Cap. XIV. X. de Jurejur.* denuo a vasallo præstetur, evanescat. Siquidem vasalli subditi sunt, & homagium non minus, quam fidelitatis jusjurandum præstiterunt. Quare licet feuda non teneant, cum vita tamen & fortunis Principi obstringuntur; ideoque, quamvis renovationem intra legitimum tempus neglexerint, illam tamen sine periculo & detrimento domini, differre queunt.

Rat. decid. X. Feuda exigua ob omissam Renovationem Investit. in Saxonia non amittuntur; a quibus ad majora concluditur.

§. XLV. Ex his, rigorem illum LL. Feudalium feudi amissionem minantium, in SAXONIA evanuisse colligimus. Exemplum sane egregium in feudis exiguis offendimus, quorum possessores renovationem intra legitimum tempus omittentes, non privari iis, sed arbitraria puniri mulcta constat. v. STRUV. Syntagm. J. F. Cap. X. HORN. Cap XVII. §. 18 & ROSENTHAL. Cap VII. Conclus. 32 n. 3. Quin ipse CARPZOVIUS strenuus alias veterum admirator legum, feuda exigua, ut sunt: *Die Schultzen-Güther*, *Mann-Lehn*, non suo cadere jure, etiamsi intra anni & diei spatium investituræ renovationem vasalli non petierint, fatetur, P. II. Defin. 21. ad Constit 45. A quibus ad majora concludere non prohibemur, sed rationis potius similitudine adjuvamur; utpote

qvum

qvum feudum exiguum non minus feudum sit, atque magnum. Quod ergo textus de beneficiis indistincte sanciunt, de exiguo non minus ac de magno, ut intelligamus necesse est. VULTEJ. de Feud. l. 1. c. 7. §. 85. Neque CARPZOVIUM discrimen, quod minora hujusmodi feuda & magna intervenire existimat, juvat, quod scilicet illa, propter annuas pensiones a possessoribus eorum persolvendas, non titulo plane lucrativo, sed oneroso teneri videantur, hincque leges feudorum tam duræ, ad feuda exigua æque ac ad emphyteutica bona, haud extendendæ sint. Respondemus etenim 1) feuda tam exigua, quam majora beneficia domini esse atque manere; quare leges de feudis indistincte loquentes utrumque complectuntur. 2) A bonis feudalibus, exiguis licet, ad Emphyteutica, conclusionem non valere, ut ipsemet fatetur P. II. Constit. 38. Defin. 20; cum hæc, tam ratione originis, quam formæ toto cœlo differant: quapropter legibus non distinguentibus, nec nobis, sine urgente causa, idipsum facere, integrum est. 3) Pensiones annuas ex minoribus persolvendas feudis, non tanti esse momenti, ut omnes reditus possessor in illas impendere debeat, propterea ratione residui saltem, intuitu cujus omittens renovationem, feudo vel maxime privari potest, lucrativis adnumeranda esse. Et ut tandem 4) quod res est, fateamur, nullum sane, si pensiones respicias, inter majora & exigua Saxoniæ feuda reale discrimen reperitur; siquidem & illa, ut supra monuimus, non gratis, sed onerose ut plurimum conceduntur. 5) Adhæc eorum possessores, aut operas & servitia militaria, aut annuam pensionem, quæ vulgo *Ritter-Pferd* audit, dominis præstant. Quo ipso CARPZOVIUS, exigua feuda a jacturæ pœna eximendo, majora autem indistincte amissionis multæ submittendo, sibi & legibus contradicere videtur.

Carpzov. discrimen, Feudis exiguis & majoribus, ratione tituli intercedere affirmans, refutatur.

Rat. dec. XI. Ex his elicitur, consuetudine contraria veteres leges pœnam privationis in omissores Renovationis statuentes, antiquatas esse. Accedunt DD. testimonia.

§. XLVI. Inquirentes itaque in veram hujus consvetudinis, feuda exigua ob omissionem renovationis non amitti permittentis, indolem, facile perspicimus, per eam constitutionum veterum rigorem hodie in Saxonia antiquatum esse. Unde factum est, ut per longum jam temporis tractum, pœnam tam duram in omissores investituræ pronunciatam fuisse non meminerimus, quin potius in negligentia eorum, dominos connivisse, complures DDrum unanimi consensu affirmant. Audiamus Celeb. de LUDEWIG. conceptis verbis id asserentem, quando: *Imo*, inquit, *etiam temporum distinguantur intervalla, cum re ipsa constet, feuda in pejorem semper ivisse statum, & nexum clientelarem subinde factum esse laxiorem, ut pristini juris & rigoris vix umbra superesse videatur, instar servitutum apud Romanos, quæ principio immensæ, deinde remissæ, parum post imperio laxatæ, demum ita dissolutæ, ut domini mallent servis carere, quam alere eos ad despectum & ludibrium.* v. Diss. de Prorog. Indult. Cap. I. §. 2. Hæc quamvis paulo durius dicta videantur, certum tamen est, mutatam feudorum, quoad acquisitionis modum, formam, contrariamque plurimarum Provinciarum consuetudinem, benigniorem in clientes dominorum voluntatem reddidisse. Consentit. WESENBECIUS P. VI. Conclus. 261. qui *feuda hodie ob investituræ neglectum, deficiente dolo, contemtuque domini, non caduca fieri, sed vasallis, qualicunque modo ratione neglectum excusare possint, indulgeri*, arbitratur. Ratio est supra a nobis commemorata, quia nimirum feuda non donatione amplius acquiruntur; & propterea ex qualicunque culpa revocari nequeunt. Requiritur ergo ad privationis pœnam, delictum dolo commissum: quale omissionem renovationis non dolosam esse, nemo serio contendet. Propterea FICHARDUS T. II. Consil. 13. n. 12. regulam, quod propter omissionem investi-

veſtituræ fundus feudalis amittatur, tunc demum in pluri-
mis GERMANIÆ partibus, *quando vaſallus ſciens volens-
que cum dolo & contumacia, intra legitimum tempus renova-
tionem negligit*, *obtinere*, aſſerit. Et STRUVIUS in Syn-
tagm. Cap. X. Aphor. 9. *vaſallum minus etiam probabilem,*
i. e. *fatuam excuſationem obvertentem, tamen ad jusjurandum
admitti ſicque Lipſienſes Scabinos pronuntiaſſe*, teſtis eſt. GAI-
LIUS autem Lib. II. Obſerv. 48. §. 9. pariter ac HARTMAN-
NUS PISTORIS Lib. II. Qu. 18. n. 8. *ad privationem feudi,
ſcientiæ & contemtus probationem requiri, durumque eſſe, ali-
quem ob tam exigui temporis lapſum jure ſuo privari, nec ſole-
re dominos beneficos vaſallis, ex ſola culpa, feuda eripere*, ex-
plicite teſtantur. Cujus etiam ſententiæ ſunt THOMAS
GRAMMATICUS & CÆSAR URSILLUS in Annotat. ad
MATH. de AFFLICT. Deciſ. 265. n. 89. 90. §. 95. qui *hodie
non amplius clientes propter denunciationem non intra legiti-
mum tempus factam privari feudis, ſed ad ſummum arbitra-
ria tantum pœna multari*, commemorant. Idem etiam RO-
SENTHAL. Cap. VI. Concl. 56. n. 1. 2. *vaſallum* ſcilicet, *mo-
do doloſe non egerit, excuſari, omnium in ore eſſe* perhibet.
Neminem vero, modo cauſam omiſſionis ſtolidam ac fatuam
afferat, in dolo eſſe, conſtat ex *l. 12. §. 1. 2. π. de Liberal. Cauſ.*
Proinde ipſe CARPZOVIUS P. II. ad Conſtit. 45. Menſ. Aug.
A. 1630. *in cauſa Abrahami & Joachimi a Dybren*, quorum
uterque renovationem omiſerat, eosdem, modo jurent:
Daß der Verzug der Lehns-Muthung nicht doloſe geſchehen &c.
Reſponſo Scabin. Lipſ. abſolutos fuiſſe fatetur. Alios ſilen-
tio prætereo.

§. XLVII. Quæ omnia, ut per ſe, ex ſupra dictis luce ſua radiant, ita eo firmiori talo nituntur, cum jure Saxonico Electorali *P. II. Conſtit. 45.* in omiſſores renovationis pœna dam dura plane non conſtituatur. Quæ Conſtitutio, ſi vel maxi-

Rat. dec. XII. argumento Conſtit. El. 45. P. II.

maxime se ad antiquiores leges referat, unice tamen ad omissionem malitiosam ex contemtu factam restringenda est; eo, quod contra veterum institutorum argumenta, simultaneè investitis quoque renovationem injungat; eaque propter tanquam novior atque exorbitans, strictissimæ interpretationi subjicienda est. Quam sententiam benigniorem non parum Usus fori suffulcit; utpote cum longo abhinc tempore, eadem SUMMO PROVOCATIONUM SENATUI, qui Dresdæ est, contunuo placuisse constet, HORN. Jurispr. Feud. Cap. XVII. Quemadmodum vero *Usus fori*, *consvetudo legis interpretativa* dicitur, v. ECKOLT. Compend. Pandect. ad Tit. de LL. SCtis §. 26; ita eandem vim suam in dicta Constitutione exercere, non dubitamus. *Nam Usus fori, aut observantia communiter, quid in causis in judicio decidendis, jure scripto non determinatis, statuendum sit, determinare solet*, v. SCHWENDENDOERFF. ad ECKOLT. d. §.

R. dec. XIII. Mandat. Div. Joh. Georg. IV. explicatur, & ostenditur, quod in eo pœna amisionis non indistincte statuatur.

§ XLVIII. Neque nostram thesin infringit Div. JO. GEORGII IV. *El. Mandat. de A.* 1691. cuj. Rubr: *Wie es mit Suchung der Lehn, und was selbiger mehr anhängig, allenthalben ins künfftige zu halten.* §. *Wer denn also aus seiner Pflicht &c.* Siquidem illud tam severam in renovationis omissores pœnam, uti ex ejusdem §. verb. fin. patet: *Es wäre dann &c.* non absolute statuit, sed vasallo, antequam privetur, se excusandi libertatem concedit. Sub verbis autem: *Bedencklichkeit und Hinderniß*, non justæ tantum causæ, in Longobardorum textibus expressæ, quæ ipso jure excusant, intelliguntur. Iis enim existentibus, vasallus non opus habet investituræ aut indulti petitione: quippe qui a pœna jacturæ ipso jure securus est; quum omnes causæ a mora excusantes, ob omissionem renovationis veniam mereantur. HORN. Cap. XVII. §. 17. sed aliæ etiam levioresque, Longobardorum textibus non definitiæ comprehenduntur,

tur, quales de LUDEWIG in d. Diff. Cap. V. §. 5. n. e. exempli loco adduxit. Quare cliens aliquam ignorantiam obvertat, minus probabilem etiam, aut, ut loqui amant, vincibilem, modo jurejurando eam probet, ad purgationem omnino sufficiet. v. STRUV. Cap. X. Aphorism. 9. Nam culpam latam in feudis oneroso præsertim titulo quæsitis, excusari, *text. II. Feud. 52.* urget. Lege autem explicite doli mentionem faciente, ne in pecuniariis quidem causis culpa lata dolo æquiparatur. *arg. l. 1. pr.* & §. *4. π. Ne vis fiat ei, qui in possess.* add. SYLVAN. de Recogn. Feudi Qu. 64. n. 7. & Qu. 66. n. 3. Sicut vero ex jam demonstratis, ex sola culpa vasallo pœnam irrogari haud posse apparet, ita multo facilius doli suspicio avertetur, cum frivola quævis ac stulta causa a dolo excuset. *l. 3.* & *5. π. de liberali causa*, & gloss. *ad l. 1. π. de Abigeis. l. 14. C. ad L. Fab. de Plagiar.*

§. XLIX. Quodsi etiam dictum mandatum obstare tantisper concedamus, hoc tamen constat, secundum illud nunquam fere, ex quo promulgatum est, pronunciatum fuisse; dum non modo, ut supra § XLVII. h. Diss. monitum est, SUMMO PROVOCATIONUM SENATUI sæpius mitiorem ferre sententiam placuerit, sed etiam SERENISSIMUS ac POTENTISSIMUS REX noster eandem non semel adprobaverit. Utpote QUI A. 1697. Senatui Schneebergensis municipii, qui intra legitimum tempus, neque indultum petierat, neque se investiendum curaverat, per Rescriptum ignovit, addita ratione decidendi: *Nun dann vermœge eures unterthænigsten Berichts, diejenige, welche also ihre obliegende Schuldigkeit, der gebühr nach, nicht beobachtet, allerseits nicht so wohl aus geflissenen Vorsatz und einen contemtu, als aus Nachlæssigkeit pecciret; So wollen wir &c.* usque *nunmehro belieben werden.* Quibus verbis SE-

Rat. Decid. XIII. secundum Mandat. Div. Jo. Georg. IV. non pronunciari, sed mitiorem sententiam Usu fori receptam esse evincitur.

RENISS. LEGISLATOREM Constitutiones & mandata priora, interpretatione authentica ad solum contemtum & dolum restrinxisse, videtur. Hac mente porro CLEMENTISS. REX per Recess. Imperial. de A. 1700. §. 25. universam & generalem gratiam, sine discrimine, omnibus investiturae omissoribus concessit. Nec ita multo post vasallo nobili hujus delicti reo, ex eadem ratione veniam dedit, eumque ad investituram admisit. Qua clementia A. 1707. d. 31. Mart. erga quinque vasallos nobiles, quarum singuli legitimum petendae renovationis spatium neglexerant, usus est, nostram veniae rationem, *quod scilicet suam ex nullo contemtu omiserint pietatem*, Rescripto adjiciendo. Et, quod nostrae non parum sententiae succurrit, eod. Rescript. verb. *Daß es bieshevor bey unserer Lehns-Curie dergestalt gehalten worden :* Consuetudinem Div. JO. GEORG. IV. Mandato contrariam agnovit & adprobavit. *Haec Rescripta inserta legimus Cod. August. P. II. C. VII. von Lehns-Sachen. p. 1970. 74. 78. 79.* Quodsi etiam a praedii Feudalis possessore, delictum cum contemtus & Feloniae suspicione, eo quod longo temporis intervallo, quo diversi casus, quibus investitura petenda erat, exstiterunt, committatur, nec vasallus justam excusandi causam habeat; ne hoc quidem ad clientelae jacturam sufficit, utpote quum secundum *Erledig : Derer Landes - Gebrechen de A. 1661. Tit: von Justitien-Sachen* §. 55. causae prius cognitio & sententia privatoria necessario requiratur. Quare Camerae, quem dicunt, Procurator, nomine quidem Fisci contra vasallum agit, nihilo tamen secius cum excusatione sua reus admittitur.

Rat. Decid. XIV. Non pauci Celeberr. DD nostrae sententiae patrocinantur.

§. L. His igitur, pro sententia benigniori stabilienda, hactenus in medium prolatis argumentis, dilucide satis & perspicue nos expedisse atque demonstrasse arbitramur, *feuda hodie in Saxonia cumprimis, propter non dolosam investiturae reno-*

renovationis omiſſionem, *neutiquam amitti.* Cui ſententiæ, quosdam Celeberr. JCtorum faviſſe, uti ex ſupra dictis, §. XLVI. conſtat, ita etiam ROLAND. a VALLE Vol. II. Conſil. 64. in fin. & Vol. IV. Conſil. ult. n. 158. HARTM. PISTORIS L. II. Qu. 18. n. 8. SOCINUS JUN. Vol. II. Conſil. 115. n. 16. VULTEJ. de Feud. Lib. I. Cap. II. n. 24. STRUV. Syntagm. J. F. Cap. X. Aphoriſm. 9. n. 3. p. 388. MAURIT. KILON. Conſil. P. I. Conſ. 10. n. 8. RHET. Comment. ad J. F. L. I. Tit. 22. §. 1. verb. *damnentur*. n. 3. MATH. de AFFLICT. Decif. 164. & THOM. GRAMMATICUS ad dict. Decif. n. 89. Præcipue vero de LUDEWIG. in Diſſ. de Prorog. Indult. &c. veterum Longobardorum legum non-uſum in hoc puncto expreſſe affirmarunt; WESENBECIUS autem Conſil. 261. his verbis conſentit: *Nunquam audivi, aut memini, aut legi, feudum ex tali cauſa revocatum fuiſſe, niſi conjuncto probatoque dolo ac domini contemtu.* Textus enim dolum vaſalli ac contumaciam exigit, *II. Feud. 52. c. ult.* nec ſufficit culpa, cum textus dolum requirat. Quibus SCHILTERUS Cap. 18. §. 4 p. 140. Cod. Jur. Alemann: *leges in Germania non ſecundum pœnam obſervari* perhibens, addi poterit. It. MAJER in Syntagm. Jur. Feud. Cap. XXIV. §. 7. p. 734. *arbitrariam hodie in omiſſores inveſtituræ renovationis*, *in Germaniæ præcipue Curiis dictari ſolere*, tradit. Add. REUSNER ad SCHNOBEL. de Feud. X. th. 8. l. c.

§. LI. His peractis, nihil amplius ſupereſt, quam ut ſatisfiat adverſæ cauſæ patronis, reſpondendo ad argumenta eorum. Hinc ultimam operi huic manum impoſiturus, ad ſolutionem eorum me jamjam accingam. Quemadmodum vero ea ex Legibus partim, partim ex Analogia juris, partim ex rei ſubſtratæ natura deſumta ſunt, ita ſingulis ſingulatim occurram. Primus textus, quem obſtare nobis putant, extat

Tranſitio ad Rationes Refutandi.

I. Rat. Ref. in qua 1. Feud. 22. explica-

tur, & genuinus sensus huj. textus demonstratur.

tat *1. Feud. 22.* (v. Ration. dubit. §. XV.) Hic vero ea minime probat, quæ eum probare existimant. Licet enim intra legitimum tempus investituram injungat, ejusque omissores damnari jubeat; nondum tamen evictum est, 1) utrum indistincte qualemcunque renovationis omissionem, an vero dolosam solummodo intelligat. Nec 2) constat, utrum verbo, *damnentur*, pœna jacturæ feudi intelligatur, an extraordinaria, an vero vasallus, judicio tantum conveniri jubeatur. Quæ ultima interpretatio reliquis præstat, propterea, quod verbum, *damnare*, non semper sensu, verbo *absolvere* contrario, sumatur, sed *σύνταξιν* sæpe vocis, *accusare* imitetur. Quo significatu a variis, iisque optimæ notæ auctoribus adhibitum reperitur. Sic ipse pater eloquentiæ, CICERO, *damnari ambitus*, in Brut. 48. Sic NEPOS *damnarunt eum proditionis*, in Themistocl. cap. VIII. §. 3. scripserunt. Quibus in locis idem significat, ac, *criminis accusare*. Unde plenius CICERO Lib. V. orat. in Verr. *nomine inquit, sceleris & conjurationis damnati* h. e. criminis accusati conjurationis. Proinde verbum, *damnatus* per Syncopen *damnas* idem, quod in vernacula, *verpflichtet* dicimus, exprimit. Quippe qua significatione testatores Romani legata relinquentes, utebantur: *Heres meus damnas esto dare centum*, id est, obstrictus esto dare centum. Et hac significatione vocabulum, *damnentur*, in textu nostro sumi, exinde conjicimus; quia per *text. I. Feud. 21. verb. sancimus ut nemo miles sine cognita culpa beneficium amittat*, & *text. 1. Feud. 22. §. 3 verb. Sancimus ut nemo miles adimatur de possessione sui beneficii, nisi convicta culpa &c.* constat, neminem vasallum, nisi præcedente cognitione causæ & sententia privatoria, clientela privari. Inde verbo, *damnentur*, Imperatoratorem velle, patet, ut vasallus omittens investituram, in judicium ad rationem reddendam, & delictum, cujus reus

est,

eſt, purgandum, vocetur. In cujus ſententiæ partes eunt, cum analogia juris idiomaque verbi, tum etiam *DD.* præcipue MAJERUS in Syntagm. Feud. C. 29. §. 9. & SCHNOBELIUS in Comment. Jur. Feud. L. I. tit. 22. Ex quo fluit, adverſariis huncce textum nihil, pro defendenda theſi ſua, auxilii præſtare.

§. LII. Eadem ratione *text. II. Feud. 24. pr.* non modo parum probare, ſed obſtare potius contrariæ ſententiæ cultoribus videtur. Quamvis enim OBERTUS in eo, renovationem intra legitimum tempus, adjecta amiſſionis comminatione injungat; ex verbis tamen, *tanquam ingratus exiſtens*, eum de doloſa renovationis omiſſione ſermonem facere colligo; reſpiciendo tam cauſas ad donationem revocandam ſufficientes, quas atroces & dolo mixtas eſſe oportet, v. Princip. X. & Rat. decid. §. XXXVI. quam reliquas in eodem tit. recenſitas amiſſionis cauſas, quam omnes atrociſſimas, iisque, ob quas filius exhæredatur, & donatario donum aufertur, æquales eſſe videmus, *II. Feud. 24.* Ejusmodi enim atrocia facta per vocem ingratitudinis exprimi, ex *Rubro* & *Nigr. text. II. Feud. 57.* innoteſcit. Quare ille OBERTI textus meæ ſententiæ non officit, ſed vaſallum potius doloſe inveſtituram omittentem feudo excidere mecum aſſerere videtur. II. Rat. Ref. interpretationem textus: II. Feud. 24. pr. comprehendens.

§. LIII. Ad tertiam legem nobis obſtantem quod attinet, quæ eſt *II. Feud. 55.* verb. *Præterea ſi quis &c.* negare haud poſſum, eam propter expreſſam *incuriam & negligentiam*, ob quam feudum amitti ſancit, reliquis refutatu difficiliorem eſſe: attamen, adhibita legibus convenienti interpretatione, non adeo nobis eam adverſari reperimus. Nam 1) ſupra dictis in Decid. Rat II. §. XXXIV. reſpondemus, ubi per *culpam*, ſæpe crimen, vel delictum intelligi, prolixe demonſtratum eſt. Sicut autem *negligentia* & *incuria*, *culpæ* ſynonyma ſunt, ita iisdem III. Rat. Ref. mentem veram textus II. F. 52. v. Præterea. &c. exponens.

 ver-

verbis culpam dolo mixtam, aut affectatam certe negligentiam, exprimi verosimile est. Observantes igitur 1) solidæ interpretationis regulas, in dubio verba secundum materiam substratam mitiganda esse censemus; cum verba legis asperiora, rigore, animum legislatoris superasse, eumque plus dixisse quam sensisse, probabile admodum sit; v. HORN. de Interpr. leg. C. IV. eo magis, quod ex aliis textibus in mitiorem partem euntibus, mens legis evidentior ac planior appareat, notumque sit, *in dubio mitiorem semper amplectendam esse sententiam.* v. supra Princip. VI. §. XXIX.

IV. Rat. Ref. in qua II. Feud. 24. § 2. enucleatur. §. LIV. Porro ad legem *II. Feud. 24.* § *2.* verb. *quod si non feceris, &c.* qua culpam a fraude distincte separari, & utramque privationis pœna dignam censeri, adversarii dicunt, reddo: loqui eam de periculo gravissimo vitæ domini ac fortunis interitum minanti, quod vasallus, vel negligentia vel fraude, *scienter* celavit, eumque feudo exuendum esse, præcipere. Nam & hoc loco negligentia dolo mixta intelligitur. Quid enim magis dolum redolet, quam scire alicui, cui pietatem & fidem debemus, vitæ insidias strui, & tamen eas non indicare. Quale profecto periculum ex omissione renovationis intra legitimum tempus, ad dominum nequaquam redundare in aprico est. Proinde OBERTUM h. l. negligentiam dolo mixtam, seu affectatam, præcipue cum eam fraudi præposuerit, intellexisse statuendum est.

V. Rat. Ref. qua II. F. 40. pr. revellitur. §. LV. Ad *text. II. Feud. 40 pr.* renovationem feudi intra legitimum tempus, sub pœna amissionis injungentem, regero: illum in genere loquentem, per leges se clarius explicantes, interpretandum esse. Quemadmodum vero nullus, in omnibus Feudorum textibus, mentem evidentius hac de re suam prodit, quam *II. Feud. 52.* in quo sola fraus & dolus, ad omissionem renovationis, feudi jacturam multandam requiritur, simulque ratio sanctionis, verb. *quoniam inter dominum*

minum & vasallum nullum malum ingenium intervenire debet, adnexa est. Quapropter hic textus per supra dicta, Princ. VI. reliquis non modo præferendus est constitutionibus, sed hæ etiam obscuræ aut generales, ex illo interpretationem avthenticam nancifcuntur.

§. LVI. Nec adversariis, ultima *text. II. Feud. 52.* verba: *dolus autem abesse videtur, si justa causa impediente steterit*, subveniunt. Nam 1) replico procardico trito Philosoph: *Uno posito non tollitur alterum*, h. e. cum in hoc textu ponitur: *dolus abesse videtur*, &c. non sequitur: Ergo ob negligentiam, quam vasallus omittendo renovationem adhibuit, feudo privandus est. Sed 2) hoc tantummodo Imperator verbis illis intendit, quod si justa omissionis causa vasallo obvenerit, suspicionem doli ipso jure cadere, ut ne habeat quidem cliens, cur se excuset. *I. Feud. 22.* Siquidem nec hodie propterea indultus petione opus esse, Dn de LUDEWIG perhibet in Diss. de Prorog. Indult. Cap. V. §. 3. Si vero justa causa non adfuerit, sed negligenter, sine dolo omissa fuerit renovatio, dolum non quidem abesse videri: propterea tamen clientem non amittere beneficium, sed *arg. I. Feud. 22. verb. damnentur*, dignum esse, qui in judicium vocetur, & coram Paribus se a præsumtione doli, qui alias, justa existente causa non præsumitur, liberet. Hanc ut genuinam Imperatoris mentem esse censeo, ita reliquos textus secundum eam explicandos esse, supra jam monitum est. VI. Rat. Ref. in qua ultima verba textus: II. F. 52. exponuntur.

§. LVII. Quod Saxonici Juris leges, ab adversæ causæ patronis, meam subvertendi sententiam gratia prolatas spectat, easdem, cum, vel plane de alia investitura loquantur, vel investituræ renovationem sine singularis adjectione pœnæ, injungant, parum ad rem facere persuasus sum. Caput enim VII. Jur. Sax. Feud. §. fin. mentem ejus penitius expendentes, non de renovatione investituræ veteris, de qua h. l. sermo est, sed VII. Refutantur Sax. Jur. Ant. textus.

ſed de expectativam habente de certo ac determinato feudo, in vernacula: *Benantes Gedinge*, diſponere reperimus. Huic, vi hujus textus, ut a die, quo vacuum feudum extitit, intra annum & diem inveſtituram feudi ſibi a domino promiſſi petat, incumbit. Quod ſi omiſerit, dominus ab ipſo liber erit, remque feudalem, cuicunque voluerit, concedere poterit. Expectativam vero feudi nondum acquiſiti h. l. intelligi, verba: *Ob der Mann verſchmæht das Lehn, daß dem Herrn* ledig wird, *und ihm das nicht zuziehet &c.* indicant. Vox namque *Ledig* hic expectativam de feudo nondum vacuo conceſſam, indigitat. Vacuum autem feudum illud eſt, quod mortuo vaſallo, ſucceſſore nullo ſuperſtite, ad dominum redit. HORN. Cap. XII. §. 7. At inveſtituram de expectativa, a renovatione inveſtituræ, nimium quantum differre, quis negaverit? utpote cum illa de novo beneficio, primum acquiſito fiat; hac vero, Antiqui vel Patrii feudi jam antea conſtituti, & in ſucceſſorem devoluti, confirmatio celebretur; a qua ad illam, nulla conſecutio valet, HORN. Cap. XII. §. 7. & XVII. §. 1.

VIII. Rat. Ref. Caput XXV. J. S. F. expenditur, & in

§. LVIII. Sicut autem *Cap XV. Jur. Feud. Alem.* pariter ac *Cap. VII. J. S. F.* de Expectativa ſolummodo agit; ita *Cap. XXV. J. S. F.* verb. *Als mancher Heer-Schild &c.* inveſtituræ quidem renovationem, ſed ſine ullius pœnæ adjectione, præcipit, eoque ipſo adverſariorum opinionem parum adminiculatur.

IX. Rat. Ref. Conſtit. El 45. P. II. reſtringitur.

§. LIX. Quod idem de *Conſtit. Elect. 45. P. II.* ſine ulla pœnæ comminatione renovationem injungente, dicendum eſſe exiſtimo; ſiquidem illa ſolum ad omiſſionem inveſtituræ doloſam, tanquam juris antiqui correctoria, contra juris antiqui tenorem, ſimultaneè inveſtitis renovationem imperans, reſtringi debet. Et quamvis contrariæ theſeos patroni, eandem ad omiſſionem culpa factam, extendant, propterea, quod caſus, quo cliens ex proæreſi & contemtu domini inveſtitu-

ſtituram differt, vix exiſtere queat; leges autem de rebus plurimum exiſtentibus, non de iis, quæ raro contingunt, conſtituantur, per *l. 3. 4. 5. π. de LL*; eædem tamen leges parum ipſis inſerviunt. Quandoquidem Regula hæc multifariam limitationem ſubit. Prout enim 1) in ipſis non modo legibus de rariſſimis ſæpe caſibus conſtituitur, e. g. *l. 3. π. Si pars hæredit. petatur*, & *l. 12. C. de Legitim. Hæred*; ita 2) in pœnalibus præſertim & duris raro locum invenit, per Princip. V. & *arg. l. 5. π. de Pœnis*. in qua Trajanus reſcripſiſſe narratur: *Nec de ſuſpicionibus aliquem damnari debere; ſatius enim eſſe, impunitum facinus relinquere nocentis, quam innocentem damnare.* Unde 3) in criminalibus probationes luce meridiana clariores deſiderari dicuntur. Huc accedit 4) caſum, quo ex proæreſi fidelis renovationem omittit, propter innatam hominibus malitiam ſua nunquam ſorte contentis, & variis machinationibus divitias acquirendi inhærentibus, frequenter accidere poſſe.

§. LX. Quod porro ad *Mandat.* Div. JO. GEORGII IV. pertinet, clypei inſtar Achillei adverſam mihi ſententiam tueri videtur. At enim vero, ſupra, in Diſſ §. XLVIII. huic dubio jam ſatisfactum eſt. Cum enim demonſtraverim, Mandatum iſtud libertatem vaſallis, ante ſententiam privatoriam ſe excuſandi concedere, verbisque: *Bedencklichkeit und Hinderniß*, non modo cauſas in Lib. Feud. expreſſas, ſed & alias varii generis, quibus, quo minus officio fungerentur, impediti fuerint, exprimere; ulteriori reſponſione haut opus eſſe exiſtimo. Conf. §. XLIX.

X. Rat. Ref. interpretatur Mandat. Jo. Georg. IV. de An. 1691.

§. LXI. Ad Sancita tandem Imperii textumque Speculi Svevici, *Lib. II. Cap. 144. n. 2.* me convertens, quorum utrumque Doctores, pro ſua ſtabilienda theſi adferunt, confiteor, meam præcipue ſententiam, Saxoniæ præſertim Beneficia ſpectare. De Imperii etenim feudis, Statuumque Imperii nexu, cum Imperatoria Majeſtate diſſerere, liberamque animi ſen-

XI. Rat. Ref. in qua autoritas Speculi Svevici deſtruitur.

 tentiam

tentiam proferre, res tam ardua est, quam periculosa. Ne tamen plane tacuisse videar, breviter moneo, constare quidem, de Imperialibus feudis, in publicis Imperii Constitutionibus sancitum esse, ut, quotiescunque mutatio aliqua circa Vasalli personam, aut Senioris accidit, investitura in Aula Cæsarea petenda sit; sed, an vasallus negligenter illam differens, feudo privetur, longe alia quæstio est. Textus quippe *Spec. Suev.* unicus me, ut aliam mentis ineam rationem, haut permovet. Ut enim taceam Speculum istud ex Jure Civili, Canonico & antiquis Longob. legibus, hodie usu plurimum destitutis, centonis ad instar consarcinatum esse, v. STRUV. Hist. Jur. German. eaque propter, quoad hunc textum ad nostri temporis Beneficia trahi minime posse; omnem hanc jurium, privata autoritate factam collationem, quamvis GOLDAST. Imperialibus eam Constitutionibus inseruerit, vi sua & autoritate dudum jam excidisse, SPEIDELIUS sub voc. *Sachsen-Spiegel*, monuit. v. STRUV. Hist. c. l. not. †††. In reliquis autem legibus tam duram haud dictatam invenio pœnam; & si adjecta fuerit, eam ad dolosam solummodo renovationis omissionem restringendam esse existimo. Quam meam opinionem mutata nostri Imperii feudorum ab antiquis forma, confirmat. Quem enim fugit Rempubl. Imperii, ab HENRICI Aucupis, ad nostram usque ætatem; a CAROLI M. ævo toto cœlo differre? v. RELFENDSO HEROMONT. de Summa Princip. Germ. Potest. Cap. XL p. 189. Quis ignorat, Ducatus veteres & Comitatus a CAROLI M. Herzogiis, instar Vice-Regum, gubernandos traditos ab hujus Imperatoris Successoribus, iisdem ad vitæ dies, quin & filiis ipsorum concessos fuisse. Exinde autem factum est, ut Duces proprias opes stabiliendi, provinciasque sibi concreditas, patrimoniales reddendi, seque potestate Regum eximendi, optimam occasionem nanciscerentur. Cujus egregium, in HENRICO Aucupe, Regiam fere

XII. Rat. Ref. qua ostenditur, leges Imperii durius mente ipsarum explicari. Simulque discrimen inter Feuda Longob. & Feuda Imperii, ex Historia demonstratur.

fere in suis ditionibus, tempore CONRADI, potestatem exexercente, exemplum habemus. Extincta demum CAROLINGORUM stirpe, Principes Imperii, nemini prorsus fidei vinculo adstricti, de libertate regiminis, quam HENRICUS infringere laboraverat, iterum cogitantes, surdas Regibus præbuere aures. Ditiones autem suas jure hæreditario tenuere. Singulis tamen ad ditionum suarum statum tuto constituendum, minime sufficientibus, genus societatis, cujus IMPERATOR caput esset, dignitate major, elegerunt. Hocque nexu feudali ab illo Longobard. multo dissimili; ita, ut neque a parte Domini plenam potestatem, neque a vasalli parte perfectam subjectionem efficeret, fieri consentiebant. Quæ omnia personatus ille HEROMONTANUS Cap. XII. fusius exposuit. Quod, ut ex multis indiciis, ita præcipue ex feudorum Imperii facie ab antiquis, plurimum deflectente, apparet. Nam unum saltem e. c. in medium ut proferamus, hodie Principum filii, statim cum dignitate Regali nascuntur, neque successionem in feudum beneficio Imperatoris expectant, sed jure suo, a patris morte, etiam ante investituram succedunt. Quare IMPERATOR se non tantum investituram absque ulla tergiversatione concessurum, sed & eo elaboraturum esse, ut omnia & singula Imperii feuda debito modo renoventur, diserte pollicetur, v. Capitulat. Leopold. Art. 31. verb. *In allewege wollen Wir uns angelegen seyn lassen, &c.* Ne prætercam, IMPERATOREM, si feudum apertum fuerit, illud in alium pro arbitrio non transferre posse, sed Imperio retinere obstrictum esse, ex legibus Capitularibus constat. v. HEROMONT. d. l. Quin etiam diversa Imperii feuda, jure caduci ad Imperium non redire CHIFFLETIUS ap. CONRING. de Fin. Imper. Cap. 27. tradit. Sedem autem Trevirensem, ut omnia Imper. Feuda, in Episcopatu aperta ad illam devolvantur, Cæsareo Privilegio gaudere, GASTE-

LIUS de Statu Europ. Cap. IX. n. 50. perhibet, testante ITTERO de Feud Imp. Cap. XXIV. §. 10.

Hodie non facile Imperii vasalli, ob omissionem Investituræ, amittunt feuda

§. LXII. Quis autem ex supra commemoratis Longobardorum & nostri Imperii feudorum discrimen non videt? Et quamvis ego, investituram hodie jusque jurandum a vasallis præstandum, nullam aliam utilitatem habere, quam ut defuncti Principis, vel Comitis successores, sibi etiam animum esse in Imperio permanendi declarent, & jurejurando non fucatam amicitiam confirmarent, cum HEROMONTANO illo haut asserere audeam; caute tamen circa privationem Imperii Feudorum procededum esse, legesque cunctas durius in omissionem investituræ animadvertentes, restringi magis, quam extendi debere, mihi persuadeo. Quare Regulam illam de amissione feudi ob non petitam legitimo tempore investituram, multas omnino exceptiones in omnibus Germaniæ feudis admittere, ROSENTHAL de Feud. Cap. VI Concl. 45. sqq. FICHARD. T. II. Consil. 13. n. 12. sqq. STRUV. Synt. J. F. Cap. X. aliique supra §. L. erudite docuerunt. *Illustres autem Imperii Vasallos, ne deteriores ceteris Beneficiorum possessoribus sint; Regibus quippe sæpius, aut pares, aut parum inferiores & ad majorem in dies libertatem adspirantes, si ob probabilem saltem causam investituræ renovationem neglexerint, modo qualicunque ratione neglectum excusent, Feudis haut excidere*, suadet ITTERUS in Lib. de Feud. Imp. Cap. XI. §. 5. p. 588. Et hæc sunt, quæ ad Leges ab Adversariis adductas, regerenda existimavi.

XIII. R. Ref. in qua argumentum Adversariorum ab Analogia Juris sumtum, destruitur.

§. LXIII. Alterum contrariæ sententiæ defensorum argumentum, ab Analogia Juris, ex Feudalis scilicet negotii qualitate, reliquis contractuum generibus simili, actionibusque ad resarciendum damnum institutis struxerunt; in quibus omnibus *dolum latamque culpam* sibimet invicem æquiparari existimant. His jam satisfaciendum est. Concedimus 1) in civi-

civilibus causis regulariter *latam culpam dolo* comparari, pariter ac in actionibus de damno restituendo &c. recurr. ad §. XIX. supra h. Diss. Hanc attamen regulam, variam pati limitationem constat. Sic juramentum in Litem, ob *dolum*, non æque ob *latam culpam* admittitur; per *l. 5. π. de in litem jurando*, verb. *Ob dolum solum in litem juratur, non etiam ob latam culpam.* & *l. 4. §. fin.* verb. *Ex culpa autem non esse jusjurandum deferendum constat &c.* Quis vero ignorat in litem jurari posse, in actionibus in rem, & ad exhibendum B. F. judiciis, per d. l. quæ omnia tamen civilia sunt, sæpiusque ex contractu veniunt. Quod si etiam jusjurandum hoc, in pœnæ locum fieri putemus, quum pœnam irroget ex voluntate jurantis; pecuniaria tamen hic pœna versatur, in qua culpam dolo alioqui conferri, in propatulo est. Sic actio injuriarum, ex plerorumque DD. sententia, non criminalis, sed civilis esse dicitur; utpote qua, neque ad pœnam corporis afflictivam, neque ad pœnam pecuniariam Fisco inferendam, agitur; in quo tamen finis judiciorum criminalium consistit; sed pœnam hæc actio parti, vel actori applicandam, ad famæ scilicet & honoris restitutionem persequitur: neque famosa est; moribus quippe & constitutionibus introducta, in quibus pro famosa haut traditur. Tendit enim ad honoris restitutionem potius, quam ad vindictam; quæ actiones non facile infamant, v. ECKOLT. ad π. *tit. de Injuriis §. 26, 27.* Interim tamen in hac actione culpa dolo non æquiparatur, *l. 5. C. de Injur. & l. 3. π. de Injur.* Sic Jure Romano contra furti delictum actiones civiles rei persecutoriæ & pecuniariæ dabantur. arg. §. 5. Instit. de Oblig. quæ ex delict. §. 18. 26. Instit. de Action. Hæ vero actiones, deficiente animo contrectendi doloso, institui haut poterant; quia furtum non nisi dolo committitur. *arg. l. 50. §. 2. de Furt.* Cum igitur ex jam dictis, regulam, *quod culpa in civilibus dolo comparetur*, multifariam subire limitationem, appareat; nescio

 sane,

ſane, quid impediat, quo minus eandem exceptionem in feudali contractu admittamus: præſertim cum *nullum malum ingenium inter dominum & vaſallum intervenire* præſumatur, & diſertis verbis: *doloſa inveſtituræ amiſſio* a Legislatore *II Feud. 52.* exprimatur. Huc 2) accedit, Feuda ab omnibus Civilibus contractibus, ratione formæ & ſubſtantiæ, nimium quantum differre, quod ex *II. Feud. 6.* ubi vaſalli officium deſcribitur, perſpicuum ſatis redditur. Quare ab his ad illa concluſio vix ac ne vix quidem commode formari poteſt. Quid? quod 3) omiſſio renovationis ſub Feloniæ nomine veniat; nos autem de feudis judicantes, in Jure ſpeciali, a reliquis jurium generibus plane ſeparato verſemur, ne ſine urgente neceſſitate ad alia recurramus, provide cavendum eſt. Scimus autem graviſſimam in Feudorum materia, pœnam conſiſtere in amiſſione feudi, atrociſſimaque facta, eâdem puniri, quibus omiſſio renovationis, nullo modo nullaque ratione accenſeri poterit: Eo minus, quo certius eſt, Feloniam in Feudorum textibus; nihil aliud, quam doloſum crimen indicare: idquod ex natura vocis ejusque ſignificatu conjicimus. Quia Longobardis *Felonia* idem eſt, quod latino idiomate *Scelus*, & in vernacula; *Schelmerey* vel *Boßheit*, vocare ſolemus. vid. HOTOMANN. Comment. de Verb. Feud. ſub voce: *Felonia*, pag. 19. Ex quo patet, verbum Feloniæ non culpam, aut negligentiam, ſed animum defraudandi, dominumque injuria afficiendi, exprimere. Nec 4) prætermittendum eſt, *Condictionem ex moribus*, domino, ad repetendum beneficium, competentem, actione injuriarum commixtam eſſe; ſolam vero injuriæ cauſam efficientem, dolum eſſe, h. e. animum ex proæreſi aliquem injuria, aut contumelia afficiendi, quem fugit? *l. 3. π. de Injur. & famoſ. lib.* & *l. 5. C. de Injur.* vid. ECKOLT. Comment. in π. h. l. §. 3. *Facere injuriam* enim *nemo poteſt*, *niſi qui ſcit*, *ſe injuriam facere; & ſi quid non convitii conſilio te aliquid feciſſe* *proba-*

probaveris, fides veri a calumnia te defendit. d. l. Quæ vero mens, aut animus dominum injuria lædendi in vasallo, ex negligentia & incuria tantum, investituræ renovationem omittente, non reperitur. Quare, nec Condictionem ex moribus hoc casu domino dari vel competere colligimus. Addo 5) culpam & dolum in omittendo solum se exerentem, in omni delictorum genere, præcipue autem in *injuriis*, a dolo & culpa, quæ committendo exercentur, distingui, per *l. 13. π. de Injur. & fam. lib.* h. m. sancientem: Quod si quis id, quod in honorem alicujus facere debuit, omiserit, quamvis contumeliæ causa factum sit, non injuriarum tenetur. *Magnum enim* d. l. addit, *discrimen interest, contumeliæ causa quid facere, & ejusdem causa quid omittere, aut, ut fiat, non permittere.* Hæc ad nostram applicantibus materiam, vasallum renovationem ex culpa omittentem, non Feloniæ reum existere, ac proinde, si vel maxime pœna dignus sit; non pari tamen cum vasallo dolose dominum contemnente, pœna, h. e. privatione feudi afficiendum esse, apparet.

§. LXIV. Ad ultimi denique argumenti, quo Beneficia donationibus comparant, & ab uno ad alterum concludunt, resolutionem progredior. Qua quidem opus haut esset, utpote qui satis perspicue partim in Princip. IX. X, partim in Decid. Ratione a Donatione sumta, hujus argumenti infirmitatem ad vivum resecavimus: paucis tamen, ordinis gratia, jam dicta repetemus, & quæ forte omissa sunt, adjiciemus. Notemus igitur, ipsammet comparationem Feudorum cum donatione, quam instituunt, præ reliquis opinionem eorum destruere, ipsosque adeo adversarios proprio se jugulare ferro. Etenim si donatarium non ob qualemcunque causam, sed atrocem, & talem, qualem *l. 1. & fin. C. de Revoc. Donat.* expressam legimus, dono privari posse certum est; feuda pariter ob atroces solummodo & graves injurias vasallis auferri

XIV. R. Ref. qua Adversariorum argumento a donatione structo, respondetur.

posse

posse, necessario sequitur. Talem autem non esse nudam investituræ omissionem, facillime perspicimus. Ast regerunt: neglectionem renovationis intra legitimum tempus, indistincte ab ipsis legibus ingratitudinis caussis adnumerari, & nostri proinde officii esse, secundum leges judicare, non vero in æquitatem illarum inquirere. Sed respondemus iis, quæ supra Princip. V. & VI. posuimus. Nimirum distinguendum esse inter legem, certam in se proponentem sententiam, adeoque doctrinalem interpretationem respuentem; & inter pœnale sancitum ab alia lege dissentiens ac propter obscuritatem dubium: cujus investigare mentem, & genuinum penetrare sensum nullibi prohibetur. Textibus ergo Feudorum de omissione renovationis ejusque pœna obscure & diversimode sentientibus, in eosdem simul inquirendi, eosque secundum interpretationis doctrinalis regulas interpretandi, libertatem nanciscimur. Quemadmodum vero probabile est, substratam materiam animo legislatoris semper obversari, verba licet latius pateant, arg. *l. 17. π. de LL*; ita in Constitutionibus, de omissione renovationis ejusque pœna, durius partim, partim benignius agentibus, animus Legislatoris comparationem feudorum, ratione pœnæ, cum donationibus facientis considerandus est, verbaque ejus genuino sensui aptari debent: legibus præcipue existentibus, in quibus se Nomotheta de eo, quod in una lege obscurius protulit, adjiciendo rationem manifestius explicuit. Quod Imperatorem *II. Feud. 52.* fecisse, supra demonstravimus §. XXXII. Licet etiam adversarii iterum regerant: donationem sub *modo* & conditione factam, utique revocari posse, si modum illum vel conditionem non adimplere velit donatarius, per *l. 12. C. de Revoc. Donat.* verb. *vel quasdam conventiones &c.* feudum autem pro *donatione sub modo* reputari debere, sub *eo*, inquam, *modo, ut fidem habeat domino, servitiaque præstet.* Verum respondeo 1)

feudum,

feudum, si vel maxime cum donatione comparetur, non ei, quæ sub modo celebrata est, sed remuneratoriæ potius conferendum esse; utpote cujus indoli, tam ratione *causæ impulsivæ*, quam ratione *causæ finalis*, proxime accedit. Ratione *causæ impulsivæ* feuda propter bene merita, ut ex Historia patet, pariter ac remuneratorias, concedi solere, certum est. Ratione *causæ finalis* vero acquiruntur propter servitia; quæ servitia non tam pro *modo*, quam pro *munere* reputanda sunt, vid. FACHIN. Controv. Lib. VII. pag 604. Quodsi ergo *fidelis* servitia præstare nolit, eum feudo merito privandum esse censeo. Sed investitura ejusque renovatio, non pro servitio, sed tantum pro agnitione domini directi & promissione servitiorum haberi debet. Cujus omissio, si vel maxime ad amissionem sufficiat: id tunc procedere sentio, quando investituram, vel dolose, vel a domino ad eam vocatus petere noluerit. *II. Fend* 24. §. 1. & *II. Feud.* 26. *c. Licet vasallus domino servitium non offerat, quantocunque tempore steterit, dummodo domino petenti servire paratus sit: beneficium non amittit.* Nimium quantum autem differt, nolle aliquid facere, & aliquid negligenter differre. Ut taceam 2) remuneratoriam donationem, cui Beneficia conveniunt, plane non revocari posse, per *l. 26. de Condict. Indebit*, §. 12. 3) Accedit differentia hodiernorum feudorum titulo oneroso comparatorum, ab antiquis lucrative concessis. Quæ uberius in Ration. Decid. § XXXVIII. deducta invenies. Licet etiam adversarii objiciant: onerosum titulum, quo clientelæ acquiruntur, nihil facere, quo minus feudum gratuitum beneficium, & a domini benevolentia profectum sit; idque triplici ratione corroborant. vid. Rat. Dub. §. XXI. Replico tamen ad I. objectionem: α) petitionem principii esse, Feuda, Germaniæ præcipue, quæ hodie pretio comparantur, gratuita fuisse; quum partim per *oblationem*, partim alio modo naturam feudi induerint. v. supra Rat. Decid. § XL. β) Si concedamus, gratuitò olim Feuda concessa fuisse; id tamen non mere gratuitò, sed partim pro meritis, partim pro servitiis præstandis factum est, proptereaque remuneratoriæ, quæ irrevocabilis est, naturam induerunt. γ) In quacunque alienatione pretium rei æquale intervenit, non donationem, sed emti venditi contractum celebrari Leges affirmant. Proinde δ) *fictio & partium appellatio, ei, quod in veritate est, cedit*, per gloss. DD. *ad L. fin. C. de Revoc. Donat* Quare ε) si dominus vel maxime feudum vasallo ob omissam negligenter investituram, aufferre velit, pretium saltem, pro feudo datum, restituendum,

H

dum est; ne dominus damno vasalli locupletior fiat, quod leges prohibent. Ad II. objectionem reddo: pretio comparata feuda, non respectu substantiæ & formæ feudalis quidem in fide vasalli erga dominum, & servitiis præstandis, consistentis, naturam beneficii mutare; bene tamen quoad accidentalia; ad quæ modos, tam acquirendi, quam amittendi, referri posse censeo. Ad III. denique objectionem regero: quamvis Feudum nummis comparatum, non beneficii naturam mutet, cum satis benignitatis sit, quod dominus emtorem vasallum investiendo, eum potius, quam alium admittere voluerit; hæc tamen benignitas tituli onerosi naturam, cujus qualitas, etiam in ejusmodi beneficio remanet, in lucrativi tituli naturam haud convertit, ut satis prolixe §. XXXVIII. demonstravimus.

Rat. Ref. XV. qua autoritas DD. Adversariorum autoritate aliorum DD. repellitur.

§ LXV. Et hæc sunt, quæ ad dubia adversariorum infringenda & discutienda mihi per Dissertationis limites, in medium proferre licuit. Tametsi vero contrariæ sententiæ Patroni, plurium Celeberrimorum Doctorum auctoritatem in subsidium vocare possint, hoc tamen ad rem ipsam parum facit: cum & doctissimi JCti homines sint, & non tam auctoritate, quam ratione pugnare Jurisperitum deceat. Accedit, quod nec mihi Præstantissimorum JCtorum, qui meæ sententiæ faverunt, & contraria tot Provinciarum consuetudine veteres tam duras Leges, in quamcunque Renovationis omissionem, feudi privationem statuentes, abrogatas dudum esse consenserunt. vid. §. L. h. Diss.

Conclusio.

§. LXVI. Nihil itaque amplius superest, quam ut Dissertationis meæ filum abrumpam, &, an proposito satisfecerim, solidissimæ B. L. dijudicationi relinquam. Hoc tantum adhuc moneo, varias ex quæstione in hac Dissert. decisa, quo magis utilitate se sua commendaret, formari potuisse conclusiones. Sed tam penuria temporis, quam operis ratio, voluntati frenum injecerunt. Fortasse alio tempore, quo id, quod hic omissum est, resarciam, occasionem nanciscar. S. D. G.

Errata typographica.

pag. 3. lin. 25. & 29. pro *aquirere* lege: *acquirere*, & l. ult. pro *aquirunt*, lege: *acquirunt*, p. 4. l. 2. pro *aquiritur* leg *acquiritur*, p. 11. l. 20. pro *beneficia* leg. *beneficii*, p. 13. l. 19. pro *contemtu* leg *contemtu*, ibid. 23. pro *perl*, l *per l.* p. 14. l. 7. pro *Longibard* l. *Longobard*. p 17. l 25. pro *qualitatem* l. *qualitatem*, p. 18. l. ult. pro *principi* l. *principia*, p. 19 l 1. pro *decidendi* l. *decidendi*, p. 20. l. 8. & 9. pro *persone* l. *persona*, p 30 l. 19. pro *auferrendo* l. *auferendo*, p. 31. l. 3. pro *bat* l. *habe*, p. 32. l. 9. pro *pratere* l. *preterea*, p. 32. l. 16. pro *adplicande* leg. *adplicanda*, p. 42. l. 4. pro *Imperial.* leg. *Provinc.* p. 45. l 16. pro *quam* leg. *quas*.